COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XVII. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXI.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Vendùntur etiam
Amſtelodami apud J. Schreuder, Londini apúd Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

UNIVERSITY OF OKLAHOMA
LIBRARY

C736
v.17
suppl.2
pt.15

I.

Mémoires de mathématique et de phyſique, préſentés à l'Academie Royale des Sciences, par divers ſavans, et lûs dans ſes aſſemblées. Tome V. à Paris de l'imprimerie Royale 1768. 4. 3 Alph. 20. pl. tab. aen. 20.

i. e.

Commentarii mathematico phyſici Academiae regiae ſcientiarum per varios eruditos exhibiti et in eius conuentibus praelecti. Vol. V.

Continentur in hoc volumine ſequentes commentarii.

1) *Excerpta ex tribus litteris* Cl. BOUILLET p. 1. *ad* Cl. MAIRAN, quae de variis obſeruationibus aſtronomicis agunt.

2) *Obſeruatio eclipſis lunae*, d. 13. ian. 1759 ſacta a Cl. BOUILLET, BARBIER et FORES. p. 10.

3) *Commentarius ſuper theoria cometae* 1759. Auctore Cl. BAILLY. p. 12.

4) *Commentatio prior de aethere ſalis marini.* Auctore Ill. DE COURTANVAUX. Aether ſalis p. 19.

Hist. of Science

communis ſeu naphtha, cuius praeparatio adeo difficilis eſt, ſecundum Ill. Auctoris experimenta obtinetur, ſi librae tres ſpiritus fumantis LIBAVII*) cum libris duabus ſpiritus vini miſcentur et ex retorta, in arenae balneum collocata, deſtillantur. Collo retortae applicatur magnum vas recipiens, duplici collo inſtructum, ita nimirum, vt vnum retortae collum recipiat, alteri vero aliud inſuper vas recipiens, tubulo inſtructum, applicetur. Vaſa haec recipientia maximam partem glacie comminuta, cumque ſale ammoniaco commixta, obteguntur, primumque vas recipiens linteis inſuper, aqua, glacie et ſale ammoniaco imbutis, inuoluitur. Iuncturis vaſorum luto bene obfirmatis et igne moderato accenſo, duplex liquor in vaſa recipientia tranſtillat, alter alteri ſupernatans, quorum is, qui inferiorem locum occupat, vnciam vnam, alter vero, ſupernatans et aetherem ſiſtens, libram vnam cum vnciis duabus ſexque drachmis pondere aequat. In retorta maſſa fuſca atque compacta remanet, quae pondus duarum librarum et vnciarum quatuordecim habet. Aether nondum depuratus acido abundat, et ſtannum ſolutum continet; vtrumque tamen, tum ſtannum, tum acidum ſeparatur, ſi oleum tartari per deliquium ad ſaturationem vſque affunditur, quo facto ſtannum praecipitatur, et acidum ſubigitur. Aether ita depuratus denuo deſtillationi ſubiicitur, ſicque purus et rectificatus obtinetur. Quod ad maſſam, poſt primam deſtillationem relictam, attinet,

*) Spiritus fumans LIBAVII praeparatur, ſi quatuor partes ſtanni cum quinque partibus mercurii viui commiſcentur, et amalgama hoc cum aequalibus partibus mercurii ſublimati corroſiui commixtum ex retorta deſtillatur. Sic enim in vas recipiens liquor admodum fumans tranſtillat, ex quo, quoties vas aperitur, copioſus, denſus, albusque fumus ſurgit.

tinet, ea, deſtillationi ſubiecta, butyrum ſtanni dat, quo cum oleo tartari per deliquium mixto, calx ſtanni obtinetur, quae aeque ac caput mortuum, in vaſe relictum, per reductionem ſtannum reddit *).

5) *Obſeruatio cometae* 1759 et 1760 *Vlyſſippo-ni facta.* p. 37.

6) *Obſeruationes de ſtrato terrae cretaceae et lapidum ramoſorum circa Riomium* (Riom) *reperiundo.* Auctore Cl. DU TOUR. Terra haec ſtatim ſub humo reperitur, ita tamen, vt inter hanc et illam ſtratum lapidum calcareorum ramoſorum irregularium interpoſitum ſit. Cum itaque terra haec ſub lapidibus effodiatur, Noſter in hac commentatione oſtendere annititur, lapides iſtos non ab illa terra, ſed hanc ipſam a fruſtulis lapideis ortum duxiſſe, et lapides quidem formam ſuam aquae, neutiquam tamen ei ipſi coniunctionem partium ſuarum debere, quod tamen, ſi dicti lapides ad ſtalactites pertinerent, requiri Noſtro videtur. p. 54

7) *Deſcriptio nouae machinae in Schemnitiae Hungarorum fodinis menſ. mart.* 1755 *applicatae* Auctore Cl. IARS. Gratum erit, Lectoribus, hoc loco machinae ſui generis forſitan primae, a IOSEPHO CAROLO HELL, rerum mechanicarum directore, aſtronomi celeberrimi fratre, inuentae, nec non niſi ex vagis adhuc relationibus cognitae, inuenire accuratam et deſcriptionem et delineationem, ob praeſtantiam eius prae reliquis, quae in eiusmodi caſibus excogitari et adhiberi ſolent machinis. Inutile eſſet conſilium, eam ſine adiecta accurata delineatione velle deſcribere; ſatis eſt annotaſſe, eam ita eſſe p. 67.

*) Confer. de hac methodo aetherem acidi ſalis obtinendi Ill. SPIELMANN Inſtit. chem. edit. II. exp. 82.

comparatam, vt ſine rotis ac tympanis ingens aquae copia ex inſigni profunditate ope aëris, per aquam, ex ſuperiori hydrophylacio in vas metallicum irruentem, compreſſi, eiici; ac exinde, vt quisque facile ipſe colliget, qui internam eius fabricam ſibi cognitam reddet, totam machinam eſſe ingenioſam ſatis fontis HERONIS, per recentiora de vi aëris condenſati experimenta, ampliationem.

p. 72. 8) *Commentatio de aceti radicalis concentratione et congelatione* Auctore Ill. DE COURTANVAUX. Cryſtallos aeruginis deſtillationi ſubiecit Ill. Auctor, primoque per aliquot horas ignem leniſſimum adhibuit, quo phlegma ſepararetur; igne poſthac ſenſim aucto, liquores magis ac magis acidos, vltimoque liquorem obtinuit, qui rectificatus in collo retortae, receptaculo intermedio et recipiente, in cryſtallos abit. Praeterea vltimam portionem, ſi ebulliat, valde inflammabilem eſſe, et ad praeſtandam congelationem aceti radicalis, ſeparationem phlegmatis acidi, nec non gradum decimum ſeu vndecimum thermometri ſuper puncto glaciali requiri, Cl. Auctor notat.

p. 81. p. 175. 9) *Obſeruatio cometae menſ. mai. et iun. Pariſiis viſi* Auctore Cl. MESSIER cum *appendice.*

p. 94. 10) *Variae obſeruationes aſtronomicae Rothomagi* a Cl. BOUIN *inſtitutae.*

p. 105. 11) *Experimenta, quibus oſtenditur, in borace principium cupreum arſenicale et terram vitreſcibilem latere.* Auctore Cl. CADET. Boracem, magna quantitate aquae ſolutam, colauit Noſter, et in filtro ſubſtantiam albam, leuem et valde friabilem relictam obtinuit, cui terrae nomen imponit. Terram

ram hanc, per plures horas cum aqua decoctam et colatam, euaporationi tradidit, atque inter euaporandum in ſuperficie pelliculam, valde ſubtilem et diverſis coloribus inſignitam, animaduertit, quae, partim per cochleare ablata, partim ſponte praecipitata et a liquore poſthac ſeparata et exſiccata, lamellas paruas, argenteo nitore ſplendentes, praebuit. Pellicula hac ſeparata, et euaporatione continuata, alia, colore hoc deſtituta, formatur, tuncque liquor, ad cryſtalliſandum repoſitus, boracem dat; quod autem cryſtalliſationem reſpuit, lixiuium praebet. Si pellicula illa, partim ſupernatans, partim praecipitata, non ſeparatur, et interea euaporatio continuatur, maxima eiusdem pars euaneſcit, et borax copioſa obtinetur. Itaque pelliculam hanc coloratam ad formationem boracis neceſſariam requiri, illam autem ſubſtantiam, quam terram hactenus vocauit Noſter, nihil niſi boracem, principio aquoſo, ad cryſtalliſationem neceſſario, deſtitutam eſſe, colligit. Pellicula illa colorata, in fundo vaſis reperiunda, carbonibus iniecta, volatilis fit, et absque vllo odore cito diſſipatur. In retortam eadem indita et deſtillationi ſubiecta ſublimatum admodum album dat, in recipiens autem, cui antea pauca aqua commiſſa fuit, liquor tranſtillat, qui aquam colore flauo, ſed nullo, niſi fatuo ſapore imbuit, quae euaporata materiam albam dat. Materia haec alba pariter ac ſublimatum illud album inter duas laminas cupreas, luto bene obfirmandas, interſperſum, et igni commiſſum, cuprum, vt ab arſenico fit, dealbat. Subſtantia, in retorta relicta, ſi in crucibulo forti igne funditur, in vitrum pellucidum abit, topazino colore debili tinctum. Si pellicula illa colorata ſalina cum ſulphure ſublimationi ſubiicitur, puluis albus et gryſeus, vterque cuprum dealbans, nec non ſulphur rubrum aſcendit, tuncque vaſis apertis odor allia-

ceus exit, quod ſi vero in lixiuium, poſt euaporationem relictum, laminae ferreae immerguntur, materia cuprea, his ipſis obducta, manifeſtatur. Acidus vero liquor, qui, dum ſublimatio cum pellicula illa ſalina et ſulphure inſtituitur, in recipiens tranſit, ſi cum ſolutione mercurii, ope acidi nitroſi facta commiſcetur, praecipitatum album dat, ei ſimile, quod ope ſpiritus ſalis obtinetur. Ex his itaque, arſenicum, ſalem marinum et cuprum boracis mixtionem ingredi, Noſter colligit.

p. 115. 12) *Obſeruationes eclipſium lunae d. 29 maii et 13 iun. 1760.* Auctoribus Cl. BOUILLET, DE MANSE, DE FORES.

p. 117. 13) *Experimenta, quae oſtendere videntur, boracem continere terram vitreſcibilem.* Auctore Cl. CADET. Vitrum, quod ex terra illa, ſupra deſcripta, obtinuit Noſter, in ſubtiliſſimum puluerem comminuit, et cum aqua coxit; liquorem poſthac colatum ad ſiccitatem vſque ſenſim euaporandum curauit, ſicque latera vaſis euaporatorii materia alba obducta vidit, quae, affuſo acido vitriolico, ſoluta et cum ſpiritu vini mixta et accenſa, flammam viridem dedit. Hinc, terram hanc partem ſubtiliſſimam vitri, ab aqua per fortem diuque protractam ebullitionem ſuſceptam, eſſe colligit. Puluis, in filtro relictus, cumque acidis mineralibus mixtus, in materiam gelatinoſam mutatus eſt. Cum autem Noſter ſimilia experimenta cum vitro communi inſtitueret, et eadem phaenomena, praeter id, quod cum acidis ſolutum et ſpiritu vini mixtum nullam flammam viridem excitauerit, animaduerteret; vitrum, ex borace obtentum, maximam partem proprietates vitri communis obtinere, ſplendorem nimirum, fragilitatem etc. ſeque ad ignem lampadis, vt vitrum commune

mune habere, monet, et ex his terram vitreſcibilem boraci ineſſe, colligit.

14) *Obſeruatio tertii et quarti ſatellitum Iouis* p. 124.
menſ. nouembr. 1760. Auctore Cl. BAUDOVIN.

15) *Commentarius, hiſtoriam naturalem et medi-* p. 128.
cam aquarum Plomberianarum (eaux de Plombieres)
ſiſtens. Auctore Cl. MORAND filio. Cum maxima Auctorum, qui de his aquis egerunt, pars in ſolo earum examine chemico ſubſtiterit, Cl. Auctor, aliam viam ad harum aquarum naturam demonſtrandam ingreſſus, ſoli potiſſimum, ex quo propullulant, naturam, vicinorumque montium mineralia examinauit. Inuenit autem non ſolum in arena circa fontem poſita, ſed et in montibus proxime ſitis magnam copiam terrae cuiusdam argillaceae induratae, quae polita quaſi tactuque pinguis reperitur, et ab aqua calida ſoluta, thermarum naturam illam pinguem ſaponaceam, qua cum thermis Schlangenbadenſibus, quae etiam ſimilem terram continent, conueniunt, conciliat. Calor harum aquarum ſemper calorem aquae vulgaris ſuperat, differt vero non ſolum in diuerſis fontibus Plomberianis, ita vt fontes diuerſi a 14 ad 65 gradum thermometri Reaumuriani calidi hoc in loco occurrant, ſed et calor vnius eiusdemque fontis pro vario gradu caloris aëris externi variat. Ante pluuiam omnes calidiores fiunt. Praeter terram argillaceam alia quoque terra Plombierii reperitur, quae in igne phosphoreſcit, et a Cl. Auctore primum accuratius examinata eſt. Pertinet vero ad fluores ſic dictos minerales vel ſpathum vitreum WALLERII et, vti nobis videtur, cum *terra*, quam *de bareira* dicunt, conuenit. Quod de muſco *hepatica terreſtri* offic. varii Auctores propoſuerunt, hanc ſcilicet plantam Plombierii ibi tantum

creſcere, vbi *aquae ſaponaceae* propullulent, Cl. Auctor refutat; cum ibidem etiam in aliis locis reperiatur. In fundo *balnei maximi* excreſcentia vegetabilis reperitur, quae a tremella in thermis Carolinis aliisque obuia, quam Cl. SPRINGSFELD eleganter deſcripſit *), diuerſa eſſe videtur. Conſiſtentiam haec planta papyri, qua ad ſcribendum vtimur, atque homogeneam, neque reticularem vel veſicularem fabricam habet. Eſt vero *tremella paluſtris vulgaris, marinae ſimilis, ſed minor et tenerior* DILLENII vel *conferua gelatinoſa omnium tenerrima et minima, aquarum limo innaſcens* RAII.

p. 153. 16) VINCENTII RICCATI *de termino generali ſerierum recurrentium cum appendice diſquiſitio analytica.*

p. 177. 17) *Obſeruationes de tunica choroidea.* Auctore Cl. DESCEMET. Summa harum obſeruationum eſt: nullum eſſe interuallum inter finem piae matris et initium choroideae eo loco, vbi neruus opticus bullum oculi intrat, vti ALBINUS aſſeruit; choroideam non ſolum a nerui optici inſertione, ſed ex omni ſuperficie ſcleroticae oriri; tandemque hanc ipſam tunicam non in vuea terminari, ſed antrorſum continuari, omnemque corneae ſuperficiem internam obducere, et hac ratione, vt ſclerotica cum cornea, ita et choroideam, globum formare, cui in anteriore parte ſegmentum globi minoris appoſitum ſit. Teneram vero hanc choroideae continuationem, quae interiorem corneae ſuperficiem, vt adnata exteriorem, inueſtit, membranam humoris aquei Cl. Auctor vocat. Omnem itaque choroideam in duas partes diuidit, poſteriorem, quae ad ligamenta

*) Vid. Mem. de l'Acad. de Berlin a. 1752. p. 104. Comment. noſtr. Vol. III. p. 688.

gamenta ciliaria vſque a nerui optici inſertione ſcleroticae ſubtenditur, et anteriorem, quae ligamentum et proceſſus ciliares, vueam et membranam humoris aquei comprehendit. Eſt vero choroidea contextus fibrarum, quae ex omni ſcleroticae interna ſuperficie egrediuntur. Hinc iis in locis, vbi vaſa eam ingrediuntur, arctius ſcleroticae adhaeret, ſimilis quoque arctior adhaeſio choroideae ad ſcleroticam, in axi bulbi, paullo exterius inſertione nerui optici deprehenditur, quo in loco difficillime choroidea a ſclerotica ſeparatur. Interna choroideae ſuperficies, quam multi Ruyſchianam tunicam vocant, denſior eſt exteriore parte. In ſenibus interior haec lamina magis albida eſt, fibris choroideae ad ſe inuicem arctius adductis, et pigmento illo nigro ad externam laminam, quae laxiorem ſtructuram habet, expreſſo. Vix condonandum Auctoris erro- p. 185.
rem indicare, operae pretium eſſe putauimus. Cum enim HALLERUS et ZINNIUS Cll. vbi obſeruationes a Sociis Academiae ſcientiarum Pariſinae, in diſſectionibus animalium variorum occupatis, factas, quae titulo inferius commemorato in lucem prodierunt *), commemorant, plerumque ſcribant Pariſinos hoc vel illud obſeruaſſe, Cl. Auctor putauit eſſe aliquem Cl. PARISINI, qui commentarios, hiſtoriae naturali animalium inſeruientes, ſcripſerit, eumdemque iam in leone choroideam in duas laminas diuiſiſſe **). Scleroticae albus color ſecundum Cl. Auctoris opinionem pendet ex humoris copia, quo imbuta eſt. Quae ſi enim ſiccatur, pellucida fit, et aquae

*) Memoir. pour ſervir à l'hiſtoire des animaux dreſſés par Mr. PERRAULT. 4.

**) En verba Cl. Auctoris: *Pariſini a ſeparé dans une lionne une lame de la choroide, qu'il appelle le tapis.* In nota adiecta citantur EIUSD. *Memoires pour ſervir* etc.

aquae iterum immiſſa, priſtinam opacitatem recuperat. Piae matris lamina, quae ex Cl. ZINNII obſeruatione *) eo in loco, vbi neruus opticus bulbum ingreditur, ſcleroticam interius obducit et in eius laminam internam abit, laminae exterioris choroideae aliqua portio fuit, quae ſcleroticae adhaeſit. Iam vero, quod ad nouam a Cl. Auctore primum, vt putat, propoſitam **), choroideae productionem, quae corneam interius inueſtit, attinet, ea in equo, oue et lepore integra a cornea ab eo, ſcalpelli ope, ſeparata fuit. Ligamento ciliari exterius adhaeret et ad circulum vueae e ſ. p. continuatur. In infantibus cum cornea perfecte concreſcit, in adultis vero ſenſim ab ea ſecedit, ita vt in ſenibus ſexaginta annorum integra ſeparari poſſit. Cum vero in homine tenerrima ſit, equorum potiſſimum oculis Cl. Auctor vſus eſt. Naturam capſulae lentis cryſtallinae et membranae humoris vitrei habet, a cornea ſeparata conuoluitur et aquae immiſſa, non, vt cornea, mutatur. Sedem cataractae membranaceae, in anteriore oculi camera obuiae, Cl. Auctor in ea ponit.

p. 190. 18) *Commentarius de nauigatione ex Gallia in Indiam orientalem.* Auctore Cl. D'APRES DE MANNEVILLE.

p. 233. 19) *Commentarius de ſurdis et mutis* Auctore Cl. ERNAULD. Breuiter methodos deſcribit Cl. Auctor,

*) *De oculo* tab. I. fig. 1. et cap. 1.

**) Iam Cl. BONN in diſſertatione inaug. de continuationibus membranarum Lugd. B. 1763. defenſa, monet: anteriorem iridis laminam non ad corneae ambitum deficere, ſed ſupra internam corneae ſuperficiem continuari, ab eaque ſat inſignem partem ſe ſeparaſſe aſſerit. Vid. l. c. p. 46 et Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 113. Facillime rem in oculo ſenili nonnunquam ſuccedere, ipſi, dum haec ſcribimus, experti ſumus, et, ſi vuea tenditur, ab ea membranaceam productionem ad corneam protendi, quilibet experiri poteſt.

ctor, qua loquelae facultatem hominibus a natiuitate ſurdis conciliat. Longe tamen perfectiora et pleniora conſilia in egregio libro AMMANNI de hac re conſcripto occurrunt, neque ea, quae hic proponuntur, noua ſunt, aut ſaltem ita comparata, vt breviter hic in compendio tradi queant.

20) *Diſquiſitiones circa vterum.* Auctore Cl. LEE p. 247. ſuë. Cl. Auctor vteros omnium aetatum, puellarum impuberum, feminarum menſtruatarum, gravidarum et parturientium anatomice diſſecuit, atque potiſſimum varia muſculoſa ſtrata in vtero eiusque confiniis, a ſe ipſo detecta, deſcribit. Vidit vero primum fibras muſculoſas in duplicatura ligamentorum latorum vteri excurrentes, quales etiam in ea peritonaei duplicatura, qua vterus ad inteſtinum rectum alligatur, deprehenduntur, quas *muſculos obliquos laterales* nominari poſſe contendit. Peritonaei lamina ab vtero detracta, exterius in anteriore vteri ſuperficie aliquod ſtratum fibrarum longitudinalium invenitur, quae radiatim primum diſperſae, quo propius ad fundum accedunt, eo magis ad ſe inuicem convergunt, et circa fundum circumuolutae in poſteriore ſuperficie iterum deſcendentes, radiorum inſtar, ſecedunt. Sub iis aliae ſunt transuerſim et oblique poſitae, iisque aliud ſtratum ſimile ſubiacet, quod ſuperiori varie implicatur, vt fabrica, cordis fabricae muſculoſae, analoga inde naſcatur. In interiore vero vteri ſuperficie occurrunt primo quatuor muſculi triangulares, duo in poſteriore totidemque in anteriore parte collocati, quorum omnium apex in laterali fundi parte eo in loco poſitus eſt, vbi tubae Fallopianae vterum ingrediuntur; baſis vero in media et inferiore vteri parte collocatur. Hos muſculos *quadrigeminos vterinos* Cl. Auctor vocat. Ruyſchianum muſculum orbicularem in fundo vteri non vidit.

vidit. Deſcribit autem duos alios *orbiculares laterales*, quorum centrum in aperturis tubarum eſt, circa quas concentricae fibrae circumflectuntur. In inferiore vteri parte transuerſales et obliquae fibrae varie inter ſe inuicem irretitae ſunt. Orificium vteri internum circulares fibras habet, inter quas eminentiae longitudinales carnoſae ſunt. Vaſorum orificia vel ſinus vbique inter orbiculares et tranſuerſas fibras aperiuntur. Iam quod vſum horum muſculorum attinet, putat Cl. Auctor, fibras carneas ligamentorum latorum tubas ſub conceptione ouariis applicare, eas vero, quae in iis ligamentis, quae nonnulli Galli poſteriora dicunt, deprehendantur, efficere, ne vterus ad latera vacillet; muſculos longitudinales externos fundum vteri ad orificium deprimere; obliquos et transuerſos externos fetum et ſanguinem ex vaſis ſubiectis exprimere; quadrigeminos tandem et transuerſos internos, fetu egreſſo, placentae expulſionem adiuuare. In fetu et infantili aetate ſemper collum vteri maius eſt, eaque magnitudo, quae primum magnitudinem corporis vteri aequabat, ſenſim minuitur.

p. 254. 21) *Diſſertatio de quibusdam libris aquariis ſeu inſtrumentis, quibus horizontalis linea determinari ſolet*, Auctore Cl. CHEZY.

p. 263. 22) *Commentarius de ichthyocolla*, Auctore Cl. MÜLLER. Haec ichthyocolla non, vt multi putant, ex ea tantum acipenſeris ſpecie, quae *acipenſer huſo* dicitur, ſed ex quatuor ſpeciebus huius piſcis in Ruſſia obuiis obtinetur, ex *ſturione* ſcilicet et *acipenſere ruthe-no* (ſterlet), quae optimam largiuntur, ex alia porro acipenſeris ſpecie, quae *ſeurjouga* vulgo vocatur, (quam LINNAEUS ad *ſturionem* retulit, quo vero minor capitisque roſtro magis elongato eſt,) et tandem ex *huſone*

huſone. Haec vltima ſpecies, quae *beluga* nominatur, probe diſtinguenda eſt ab alio piſce ex cetaceorum genere (*piſcis cetaceus albus* RAII) etiam *beluga* dicto, ex cuius corio lineae curruum, non vero vt LINNAEUS in ſyſtemate aſſerit ex acipenſere huſone praeparari poſſunt. Ichthyocolla vero non ſolum ex acipenſeris ſpeciebus, ſed etiam ex aliis piſcibus nonnunquam paratur, vt ex *cyprini* aliqua ſpecie *ſaſan* dicto, ex *ſiluro*, imo *gado molua*, qui in Volga et Yaik fluuio abundant. Omiſſis, quae de fluuiis Ruſſiae, in quibus ſpecies acipenſeris, ichthyocollam largientes, reperiuntur, Auctor Cl. habet, annotamus, ichthyocollam obtineri ex veſica acipenſerum natatoria, quam inter cartilagineos piſces vnicum hoc genus habet. Haec purgata vna cum glutine, quod continet, in paſtam manuum ope figuratur, et in taleolos ſecta lente exſiccatur. Eſt alia adhuc ſpecies, quae coctura veſicae, ichthyocollam largientis, paratur, quae vero longe rarior eſt vulgari eaque praeſtantior, et cum ea collae ſpecie, quam vulgo *mundleim* dicimus, conuenit.

23) *De poſitione orbitae veneris ex obſeruationibus, in eius tranſitu per diſcum ſolarem d. 6. iun. a. 1761. a* Cl. MAYERO *factis*, diſſerit Cl. BAUDOVIN. p. 270.

24) *Diſquiſitiones circa reſpirationem erucarum.* Auctore Cl. BONNET. Notum eſt, Cl. REAUMUR putaſſe, ſtigmata erucarum aliorumque inſectorum a MALPIGHIO primum deſcripta *) ſoli inſpirationi inſeruire, aëremque a tracheis ſuſceptum per poros cutis, in qua diſtribuuntur tracheae, iterum egredi. Cl. vero BONNETI experimen- p. 276.

*) Vid. Cl. LYONNET deſcript. de la chenille p. 407. ſeq. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 427.

rimenta hic recenſita probare videntur, aëris globos, qui in erucis ſub aqua merſis ex cute egredi viſi ſint, fuiſſe aërem, qui cuti ante ſubmerſionem adhaeſerit, quae difficulter aqua madefiat; aëremque etiam per ſtigmata iterum egredi, egreſſumque hunc motu et agitatione corporis erucae adiuuari. Parte corpore erucae extra aquam eleuata, ab aëre, per ſtigmata, aqua non tecta, irruente, totum corpus ad motum iterum ſuſcitatum eſt. Gangliis medullae ſpinalis ſemihora poſt mortem erucae irritatis, muſculi vicini ad motum excitati ſunt. In papilionibus Cl. Auctor etiam ſtigmata 18, id eſt, tot, quot in eruca adſunt, numerauit.

p. 304. 25) *Obſeruationes aſtronomicae Pariſiis* a Cl. MESSIER a. 1762 *inſtitutae.*

p. 319. 26) *Commentatio de ſolfataris circa Romam, deque origine et formatione vitrioli Romani.* Auctore Cl. MAZEAS. Vaſti gurgites ſeu voragines, in ſtatu Eccleſiaſtico inter mare Toſcanum et montes Apenninos reperiundae, ſolfatarae vocantur. Notiſſimae harum voraginum ſunt ſolfatara Tiburtina et Viterbienſis. Prior quatuordecim milliaria a Roma diſtat, intolerabilem hepatis ſulphuris foetorem exhalat, ſtrepitum continuum edit, bullulaeque aereae continuo ad ſuperficiem aquae ſurgunt. Phaenomena haec a terra quadam et ſulphure prouenire, Noſter perhibet. Sedimentum enim harum aquarum, in igne diſquiſitum, calcem perfectam praebet; ſique terra illa alba cum ſulphure coquitur, odor hepatis ſulphuris producitur. Hae inſuper aquae incruſtationes formant, quae indolis ſeleniticae ſunt, martisque praeterea crocus ex his aquis, ſi ſtagnant, praecipitatur. Altera vorago, ſolfatara ſcilicet Viterbienſis, ſub nomine *bullicame* nota eſt, quod ab ebullitione aquarum contraxit. Haec eadem

eadem ratione, vt praecedens, odorem hepatis ſulphuris exhalat, eandem ſpeciem ſelenitis ſoluti continet, et canales, per quos ducitur, incruſtat. Aquae eius limpidiores, quam praecedentis, ſunt, hanc quidem ob rationem, quod nullum bitumen contineant et calidae ſint. Praeterea maiorem copiam ferri habent, quod in canalibus omnibus et locis, vbi aquae iſtae ſtagnant, ſub forma croci praecipitatur.

Aquae hae ſulphureae ad formandum vitriolum p. 327. ab ipſa natura impenduntur, quod triplici modo fieri obſeruatur. Primus eſt, dum vapores, ex ſolfataris riuisque ſulphureis aſcendentes, in terras martiales rurſus deſcendunt, hasque ſenſim effloreſcentia quadam vitriolica obducunt. Cum vero proventus ab his terris parciſſimus ſit, vitriolum ex his non coqui, Noſter perhibet. Alter modus eſt, vbi vapores terras, ferrum continentes, quaſi per filtrum penetrant: terrae eiusmodi coeruleſcentes et adſtringentes ſunt, et ad vitriolum excoquendum impenduntur. Tertius eſt, quando terrae martiales, multum inſimul ſulphuris continentes, per motum quendam inteſtinum et calorem ad producendum vitriolum diſponuntur. Cum vero ſaepe contingat, vt ferrum et ſulphur, in his terris irregulariter diſperſa, intimam vnionem ſubire nequeant, operarii terras has in peculiaribus aedificiis accumulant, easdemque in his per artem eo diſponunt, vt motum inteſtinum ſubeant, atque acidum vitriolicum cum ferro coniunctionem inire queat; quo facto terras ſic adaptatas ad praeparandum vitriolum adhibent.

27) *Obſeruatio tranſitus veneris per diſcum ſolis* p. 331. *Pariſiis facta d. 6. iun.* 1761. Auctore Cl. MESSIER.

p. 341. 28) *Analyſis gypſi.* Auctore Cl. LAVOISIER. Experimenta, quae Cl. Auctor cum gypſo inſtituit, oſtendunt, lapidem ſpecularem ſeu gypſum non calcinatum, aeque ac calcinatum, in magna quantitate aquae ſolui, ſolutum et lente euaporatum cryſtallos admodum exiguas praebere, igni expoſitum pelluciditatem et aquam amittere, leni igne calcinatum cum aqua indurari, cum carbonibus tractatum hepar ſulphuris exhibere, et aqua ſolutum, affuſo oleo tartari per deliquium, tartarum vitriolatum et terram calcaream largiri. Ex his colligit Cl. Auctor, lapidem ſpecularem ſeu gypſum quodcunque ſalem neutrum eſſe. Cum vero in aqua difficulter ſoluatur, ad eius ſolutionem quingentis partibus aquae opus habet.

p. 358. 29) *Obſeruationes de alcali plantarum marinarum, et modis, iſtud eidem vſui, cui ſoda inſeruit, aptum reddendi.* Auctore Cl. MAZEAS. Plantae marinae, quas Cl. Auctor examinauit, ſunt: 1) *Fucus maritimus, ſeu quercus marina veſiculas habens C. B.* 2) *Fucus anguſtifolius veſiculis latis ſiliquarum aemulis* RAI. 3) *Fucus longiſſimo, latiſſimoque folio C. B.* Plantae autem maritimae ſunt 1) *Salicornia annua geniculata* TOURNEF. 2) *Salicornia gramineo folio candicanti* EIUSD. *ſeu kali minus album ſemine ſplendente C. B.* 3) *Crithmum maritimum flore aſteris attici C. B.* 4) *Cneoron album folio oleae argenteo molli. C. B.* Plantae hae, tum ſingulae, tum coniunctae, ſi comburuntur, cineres largiuntur, ex quibus quidem per elixationem et euaporationem alcali obtinetur, quod vero indolem ſodae Alicanticae non habet, nec oleum ſoluit, nec cum eodem perfecte coniungi ſe patitur. Vt itaque alcali, ex dictis plantis obtinendum, ſodae ſimile fieret, nec olei coniunctionem reſpueret, libram vnam cine-

cinerum harum plantarum cum ſex vnciis nitri, ſex que drachmis pulueris carbonum commiſcuit Noſter, inque crucibulo candente detonationi tradidit. Detonatione peracta, maſſam aeque duram et compactam, ac ſodam, penitus alcalinam, in coeruleſcentem colorem vergentem obtinuit, quae cum calce acuata lixiuium praebuit, adeo actiuum, vt quinque vel ſex eiusdem guttae ad albeſcendam olei vnciam dimidiam, idque lacteum reddendum ſufficerent. Nouam hanc ſodam eodem modo, vt ſodam Alicanticam ad inſtituendam praeparationem ſaponis ſe habere, easdem cryſtallos praebere, nec in aere deliqueſcere, Noſter perhibet.

30) *Obſeruationes aſtronomicae Toloſae factae* a p. 367. Cl. D'ARQUIER.

31) *Obſeruationes de minera aluminis de la Tolfa in locis Romae finitimis, deque eadem minera ad Palinier in Britannia minore reperiunda.* p. 379. Auctore Cl. MAZEAS. Circa arcem Tolfa complures deprehenduntur colles, ſaxis pleni, quae pulueris pyrii ope diffringuntur. Saxa haec diffracta, maxima cum cura in furnis calcinantur, poſthac autem in aedificia, hunc in finem exſtructa, deportantur, ibique ita diſponuntur, vt ab aqua affluente humectentur, quae de ſaxis in foſſam promanans, breui tempore ſapore aluminoſo imbuitur. Frequente hac lotione, interdum quatuordecim dies durante, lapides iſti finduntur, tandemque, vt calx viua, in paſtam abeunt. Paſta haec in ahenis plumbeis, aqua repletis, ſub continua agitatione coquitur; cocta demum, alumine ſufficienter impraegnata, in aliud vas deriuatur, in quo clarior limpidiorque facta ad cryſtalliſationem idonea fit. Ex hoc canalis ope in ſexaginta ad octoginta vſque vaſa, ſingulari modo conſtructa

ſtructa et inter ſe inuicem coniuncta, deriuatur, vbi lateribus eorum alumen, in cryſtallos formatum, accreſcit. Aqua inde defluens colligitur, iterumque in ahenum, vbi paſta aluminoſa coquitur, infunditur. Alumine ex dictis ſaxis extracto, ſabulum ſubtile cum terra, ad ignem ſe indurante, mixtum, nec non materia pinguis, albeſcens et acida relinquitur, quae aeri expoſita efflореſcit, humiditatem attrahit, et eadem fere phaenomena praebet, quae in lixiuio, poſt cryſtalliſationem vitrioli ſuperſtite, obſeruantur. Colligit itaque ex his Cl. Auctor, acidum vitrioli in dictis ſaxis iam exiſtere, per calcinationem autem tum demum euolui et ad combinationem intimam cum terra aluminoſa diſponi.

p. 384. Quod ad mineram aluminoſam de Palinier in Britannia attinet, ea lapidem ſiſtit, qui in fodina, vbi tripela effoditur, reperitur, et minerae aluminoſae de la Tolfa perfecte analogus eſt. Hic lapis a tripela differt: ſi enim dictus lapis et tripela igni exponantur, haec duritiem retinet, quae in illo ceſſat. Si deinde iſte lapis aqua humectatur, et chartae coeruleae imponitur, ei maculam rubeſcentem imprimit, quam tripela non efficit. Idem porro lapis calcinatus, et aqua ſaepe irroratus, ſaporem aluminoſum linguae imprimit; forti igne calcinatus, nullum vltro alumen dat, quod aeque in minera aluminoſa de la Tolfa obſeruatur. Itaque igne forti mineras has acido ſuo orbari, acidumque hoc baſi ſuae in minera immediate non vnitum eſſe, Noſter coniicit.

32) *Methodus, qua nauis, in fluuio ſubmerſa, ite-*
p. 392. *rum eleuata fuit.* Auctore Cl. BONNONY.

33) *Tranſitus mercurii per diſcum ſolis d. 6. maii*
p. 396. *1753. Pariſiis obſeruatus* a Cl. KERAUSTRET.

34) *Com-*

34) *Commentatio prior de frigore, quod liquores, cum euaporant, producunt.* Auctore Cl. BAUME. Liquores ſeu fluida, quibuscum Cl. Auctor haec experimenta inſtituit, ſunt; 1) aqua fluuiatilis colata; 2) eadem aqua deſtillata et per annum aſſeruata; 3) acetum vini vulgare; 4) acetum vini deſtillatum; 5) acetum vini deſtillatum, per frigus concentratum; 6) ſpiritus veneris; 7) ſpiritus nitri fumans; 8) ſpiritus ſalis fumans; 9) ſpiritus ſulphuris; 10) oleum terebinthinae vulgare; 11) oleum terebinthinae rectificatum; 12) oleum animale DIPPELII rectificatum; 13) ſpiritus cornu cerui; 14) ſpiritus ſalis ammoniaci, cum calce, in aere extincta, paratus; 15) ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus; 16) aqua vitae; 17) ſpiritus vini communis; 18) ſpiritus vini rectificatus; 19) ſpiritus vini rectificatus, cum camphora ſaturatus; 20) aether vitriolicus; 21) aether nitroſus. Singulis his fluidis thermometrum tam nudum, quam linteo inuolutum, immerſit, atque omnia haec fluida, acidis nonnullis exceptis, frigus, dum euaporent, produxiſſe, hocque, quo magis euaporabilia fluida ſint, eo quidem maius, minus tamen durabile eſſe, obſeruauit. Cum Cl. Auctorem vbique ſequi nequeamus, vnum alterumque exemplum commemoraſſe, ſufficiat. Aceto vini vulgari, eidemque deſtillato, nec non per frigus concentrato, thermometrum immerſum vix ad gradum vnum, dum extraheret Noſter, deſcendit; ſpiritui veneris autem et ſpiritui nitri ac ſalis fumanti immerſum ſtatim poſt extractionem aſcendit. In oleo animali DIPPELII ad duos gradus et, cum thermometrum, linteo inuolutum, immergebatur, ad quatuor gradus deſcendebat. Haec et reliqua, cum fluidis inſtituta, experimenta, vtilitate non carere, et arti inprimis ſalutari inſeruire poſſe, Noſter autumat. Si v. g. quis ſudet, et lin-

p. 405.

 tea,

tea, quibus inuoluitur, ſudore madida ſint, humorem, dum euaporet, nonnunquam funeſta ſymptomata, quorum cauſa forſan ignorari poſſet, producere, aſſerit. Itaque in medicina et chemia, ſi lintea humoribus fluidisue madefacta applicentur, ad euaporationem liquoris humectantis et producendum inde frigus attendendum eſſe, Noſter innuit.

p. 425. 35) EIUSDEM *Commentatio poſterior, de eodem argumento.* In hac oſtendit Cl. Auctor, frigus, ſi preſſio aeris ambientis, qui euaporationem ex parte retardet, ſupprimatur, notabiliter augeri. Itaque experimenta, in vacuo inſtituta, communicat, quibus demum alia, cum variis liquoribus et glacie ſuſcepta, ſubnectit. Sic aquae purae, ad trigeſimum quartum gradum calefactae, calor intra decem minuta in vacuo vltra nouem gradus imminutus eſt, cum eiusdem aquae calor intra idem tempus in aere libero tres tantum gradus deſcenderet. Spiritus ſalis ammoniaci cum calce viua, in aere extincta, paratus effecit, vt thermometrum in vacuo ad nouem gradus, in aere libero autem ad quinque gradus deſcenderet. Thermometrum aetheri, in vacuo poſito, immerſum viginti ſex gradus frigoris oſtendit. Cum hoc Noſter obſeruaret, vaſculum, aqua repletum, aetheri immerſit, poſteaque in vacuum collocauit, ſicque ſubito aquam in glaciem abiiſſe, obſeruauit. Quod ad coniunctionem fluidorum cum glacie attinet, experimenta Noſter cum variis acidis, oleo animali DIPPELII, ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viua parato, aqua vitae, ſpiritu vini vulgari et rectificato, nec non cum aethere vitriolico et nitroſo inſtituit, variosque gradus refrigerii obſeruauit. Sic vncia dimidia glaciei contuſae, cum drachmis duabus aceti vini vulgaris mixta, thermometrum ad vnum gradum deſcendere coegit.

coegit. Drachma vna ſpiritus ſalis fumantis, cum vncia dimidia glaciei contuſae mixta, deſcenſum in thermometro ad ſedecim gradus, duae autem drachmae dicti ſpiritus cum eadem quantitate glaciei ad gradus viginti tres, et tres drachmae eiusdem ad gradus viginti quinque effecerunt. Aether vitriolicus, cum glacie mixtus, thermometrum ad gradus octo, aether vero nitroſus ad gradus decem deſcendere coegit. Sed haec ſufficiant. Ex his enim patere arbitramur, quanto ſtudio quantaque attentione experimenta haec, vtilitate certe non deſtituta, a Cl. Auctore inſtituta ſint.

36) *Obſeruationes inſulae in Flandria a fine hyemis* 1752. *ad ver* 1753. *factae, circa diuerſam aëris temperiem, agros eorumque producta, et morbos epidemicos, in hac prouincia graſſantes.* Auctore Cl. BOUCHER. p. 441.

37) *Commentarius de conchyliis in Galloprouincia* datte *dictis.* Auctore Cl. FOUGEROUX DE BOUDAROY. Praeter *pholades*, quos Galli *dails* vocant, alia quoque teſtaceorum ſpecies rupes terebrat et in lapidibus habitat, quam *datte* nominant, et quae *mytilus lithophagus* Ill. LINNAEI eſt. Cum vero Cel. REAUMUR, qui in commentariis academiae Pariſinae *) pholades accuratius deſcripſit, putauerit, illos argillam tantum perforare poſſe, et pholades, quos in lapide duriore deprehendimus, in hunc lapidem eo tempore penetraſſe, quo adhuc mollis fuit, poſtea vero hanc argillam in lapidem mutatam eſſe; Cl. Auctor huius commentarii demonſtrat, mytilos aliaque teſtacea lapides duriſſimos perforare poſſe. Vidit enim illos non ſolum in madreporis, ſed et maxima eorum copia Toulonii p. 467.

*) A. 1712. p. 126. ſeq.

in ſaxis aqua marina tectis, quae ex lapidicinis remota et in portum delata ſunt, quo aedificia iis ſuperſtruantur, reperitur. Putat vero mytilos, paruos adhuc, filamentorum ſeu byſſi ope ſaxis adhaerere, et tum corporis motu, tum ope partis cuiusdam carnoſae, quae vulgo pes in teſtaceis nominatur, lapidem ſenſim perforare. Hinc canalis, quem animal effodit, ſemper in ſuperficie lapidis exteriore anguſtior eſt, quam interius, vbi animal collocatum eſt. Si animal in itinere ſuo canaliculum ab alio animali perfoſſum offendit, eum penetrat, et mytilum, qui ibidem habitat, enecat. Penetrant vero etiam in canaliculos, quos mytuli parauerunt, per aperturam externam, varia inſecta marina, conchyliisque his veſcuntur. Quae de anatome mytilorum horum Cl. Auctor habet, omittimus, cum fabrica eorum, cum fabrica reliquarum ſpecierum huius generis ſatis conueniat.

p. 479. 38) *Vſus diuiſorum numeri in reſoluendo problemate arithmetico.* Auctore Cl. RALLIER DES OURMES.

p. 485. 39) *Expedita methodus numeros primos in ſerie numerorum imparum continuata detegendi, et ſimul diviſores eorum numerorum, qui non ſunt primi.* Auctore EODEM.

p. 500. 40) *Obſeruationes circa ſurdos et mutos cum animaduerſionibus in nonnulla loca commentarii* Cl. ERNAULD ſup. p. 233. Auctore Cl. PEREIRE. Docet Cl. Auctor, Cl. ERNAULD non inuentorem eſſe methodi ibidem deſcriptae, ſed ipſe ſibi hanc gloriam vindicat. Pleniorem vero huius controverſiae hiſtoriam in compendio tradere, impoſſibile eſſe iudicamus.

41) *Com-*

41) *Commentarius de ſalſola kali* (ſalicor). Au- p. 531.
ctore Cl. MARCORELLE. Deſcribitur hoc commentario non ſolum planta *ſalſola kali* LINN. ex qua optima ſodae ſpecies paratur, ſed et fuſe cultura eius in agris ſale marino impraegnatis, et methodus exponitur, qua ſoda poſt combuſtionem plantae ſiccatae obtinetur. Ex ſucco ſalſolae iam alcali minerale ſodae et ſal marinum, ante combuſtionem extrahi poteſt, quod iam Cl. MONTET obſeruavit, cuius tamen commentarius de hac re conſcriptus *) Cl. Auctori demum, hoc commentario iam ad finem perducto, innotuit. Soda ex ſalicornia optima eſt, et colorem ex nigro coeruleſcentem habet. Sodae vero, ex *ſalicornia herbacea* et *fruticoſa* (quam plantam Galli *ſoude* vocant) paratae, quae praecedente inferior eſt, color griſeus eſſe ſolet. Paratur vero etiam ſoda ex variis aliis plantis, vt *meſembryanthemi*, *ſalſolae* et *ſalicorniae* aliis ſpeciebus.

42) *Epitome obſeruationum Rothomagi d.* 12. p. 549.
iul. 1757. *factarum* a Cl. PINGRÉ et BOUIN.

43) *Obſeruatio aſtronomica eodem die Pariſiis fa-* ibid.
cta a Cl. MONNIER.

44) *Noua methodus diuidendi, ſi diuidendus fue-* p. 550.
rit multiplum diuiſoris, nec non radices extrahendi ex potentia perfecta. Auctore Cl. RALLIER DES OURMES.

45) *Commentarius continens deſcriptiones ecli-* p. 575.
pſium ſolis Pariſiis viſibilium ab anno 1767 *ad a.* 1900. Auctore Cl. DU VAUCEL.

 46) *Com-*

*) Vid. Mem. de l'Acad. a. 1762. p. 639. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 478.

p. 593. 46) *Comparationes lunae cum ſtellis fixis a.* 1756. *Rothomagi factae.* Auctore Cl. BOUIN.

p. 598. 47) *Obſeruationes aſtronomicae ibidem* ab EODEM *a.* 1757. *factae.*

p. 605. 48) *Obſeruatio eclipſis ſolis d.* 13. *iun.* 1760. *ibidem facta* a Cl. DULAGUE.

p. 607. 49) *Commentarius de fetu monſtroſo.* Auctore Cl. BETBEDER. Monſtrum hoc duo capita, quatuor brachia, thoracesque duos habuit. Internis vero partibus a chirurgo exemtis, qui in partu opem tulerat, anatomen eius Cl. Auctor non tradere potuit.

p. 611. 50) *Obſeruationes aſtronomicae a menſe auguſto a.* 1752. *ad annum* 1762. *Pariſiis factae* a Cl. MESSIER.

p. 615. 51) *Obſeruatio circa tertium ſatellitem Iouis d.* 25. *ian.* 1763. ab EODEM *facta.*

p. 617. 52) *Commentatio de pyritis et vitriolis, ad ſtabilienda dogmata chemica de formatione naturali harum ſubſtantiarum mineralium aliarumque materiarum, quae ex combinatione earundem producuntur.* Auctore Cl. VALMONT DE BOMARE. In itineribus, quae fecit Noſter, varias de pyritis et vitriolis collegit obſeruationes, quarum ſumma hic traditur. Pyrites Noſtro ſunt omnes ſubſtantiae terreſtres, ſalinae, acidae, quae vario ſub ſtatu mineraliſatae et cryſtalliſatae ſunt; interim pyrites a marcaſitis diſtinguit, ſubque his ea corpora mineralia comprehendit, quae tam de pyritis, quam metallis participant, humiditatem non attrahunt, et omnem elixationem reſpuunt. Pyrites reſpectu figurae et proprietatum diuerſos eſſe,

ſe, omnemque differentiam a ſubſtantiis, quibuscum acidum vitriolicum, durante formatione, connubium init, prouenire, autumat. E. g. ſi pyrites aluminoſus, in ſtatu fluido exiſtens, baſi martiali occurrat, terram eius vel ex parte vel penitus praecipitari, inque priori caſu vitriolum aluminoſum, in poſteriori autem cryſtallos martis rhomboidales decaëdras produci, vel ſi materia pyritacea ferro et cupro ſimul occurrat, vitriolum ex coeruleo virideſcens figurae dodecaëdrae formari, perhibet. Ab acido tandem vitriolico, a pyritaceis maſſis liberato, ſub ſtratis pyritum deſtructorum innumera corpora indolis diuerſae, vitriola omnis generis, ſulphur, ſeleniten, ſchiſtos, ardeſias, argillas coloratas et argillas vitriolicas formari, immo idem iſtud acidum liberatum, ſi lithantracibus ſeu ſubſtantiis martialibus occurrat, calorem, efferueſcentiam notabilem violentumque fremitum producere, aſſerit. Inde autem oſcillationes ſubterraneas oriri, ſique ſubſtantiae mutuo ſe penetrare et magis ac magis incaleſcere pergant, per has ipſas calcinationes, ſublimationes et fuſiones effici, autumat. Per ignem denique aerem multo magis rarefieri, coactumque euolui et per fiſſuras exitum quaerere, ſicque montes igniuomos ortum ducere; ſin autem materies iſta, in locis ſubterraneis mota, exitum nullum habeat, eam, dum elaſticitas eiusdem magis magisque augeatur, horrendam exploſionem, cum ignis flamma coniunctam, et inſignes illos terrae motus et deuaſtationes producere, oſtendit.

53) *Problema aſtronomicum propoſitum* a Cl. DE SILUABELLE *una cum eius ſolutione.* p. 631.

54) *Commentarius primus de diffractione lucis,* Auctore Cl. DU TOUR. p. 635.

II.

II.

Traité des fleurs blanches, avec la méthode de les guérir: par Mr. RAULIN. Docteur en Médecine, Conſeiller-Médecin ordinaire du Roi; de la Societé Royale de Londres, des Académies Royales des Belles-Lettres, Sciences et Arts de Bordeaux et de Rouen, et de celle des Arcades de Rome. Tome premier. à Paris, chez Heriſſant, fils, libraire. 1766. 12. pagg. 435. cum praefatione pagg. 30. Tome ſecond. Ibidem, eodem anno, pagg. 626.

i. e.

Tractatus de fluore albo, cum methodo eum curandi. Auctore Cl. RAULIN, etc.

In tres partes opus hoc diuiditur, quarum duae priores primum, tertia alterum tomum conſtituunt. Pars prima theoriam fluxus albi proponit, eiusque ſectio prima characterem illius, ſecunda varias ſpecies, tertia cauſſas remotas ſiſtit. Pars ſecunda cauſſas propiores et immediatas fluoris albi ita pertractat, vt ſectio prima cauſſas eiusdem propiores, et ſecunda cauſſas proximas exponat. Tertia denique pars de cura fluoris albi agit, et ſectione prima rationem praecauendi cauſſas eiusdem remotas atque medendi effectibus earumdem, ſectione ſecunda curam cauſſarum propiorum, et tertia curam cauſſarum immediatarum ſeu proximarum exhibet. Singulae ſectiones in capita quaedam ſubdiuiſa ſunt, quorum argumenta nunc paullo vberius proſequuturi ſumus.

Tom. I. p. 1. Primum caput ſectionis primae in parte priori exponit, quid nomine fluoris albi veniat. Eſt ille efflu-

effluxus humorum aquoſorum, ſeroſorum, lymphaticorum, mucoſorum, bilioſorum, chyloſorum vel lacteorum ex pudendis feminarum, vario modo differens pro varietate cauſſarum ipſius, fere ſemper ratione effectuum ſuorum timendus, diuerſus ratione ortus ſui et periodorum, quas ſeruat, incongrua etiam nonnunquam ſequela menſtruorum ceſſantium; rariſſime in feminis perfecte ſanis absque incommodo occurrit, et hoc ne tunc quidem, cum aliquamdiu perdurauerit. Cognitus quidem fuit antiquis, ſed tum non niſi vetulas infeſtaſſe ſcribitur, p. 7. quum hodie ne tenerrimae quidem aetati parcat. Moleſtum ſymptoma eſt in grauidis, et infantes hoc maternum vitium ſaepius luunt. Neque ſemper a vitio vteri pendet, ſed a quacumque corporis aut partis cuiusdam deprauatione oriri poteſt: neque res periculo caret, ſi ipſe vel ſponte ceſſat, vel reprimitur inepte. Caput ſecundum ſanguinem et chy- p. 11. lum, tamquam fontes generales mali huius, conſiderat, et integrum fere phyſiologicum eſt. Tertium caput deſcriptionem vteri exhibet, et quid ille ad fluorem album conferat, docet, vbi praecipue ratio habetur motus fluidorum in hac parte ob flexuras vaſorum inſigniter retardati, et inſignis copiae glandularum folliculoſarum per totam vteri et vaginae ſuperficiem diſperſarum. Caput quartum exponit, p. 36. qua ratione fluor albus oriatur. Fluidae corporis partes cum deprauantur, ſolidas ſenſim iuſto tono iuſtaque elaſticitate priuant easque relaxant; et vt in omnibus chronicis morbis fluida corrupta locum ſibi peculiarem deligunt, in quem copioſius irruunt ac ſedem ibi figunt, ita mirum non eſt, vterum facile eiusmodi decubitus pati, cum ſtructura mire iisdem faueat, quare MERCATUS et PARACELSUS eumdem emunctorium vniuerſale totius corporis dixerunt. Caput quintum agit de diuerſis co- p. 40.

loribus

loribus fluoris albi. Differunt ii ratione diuerſae qualitatis humorum, ad vterum deductorum, ratione indolis, quam in ipſo vtero acquirunt, ratione moraе, quam in eodem ſubeunt, et ratione mutationis, cui in eo ipſo ſubiecti ſunt. Varietates hae colorum ex veterum ſcriptis ad decem claſſes redigi poſſunt; inſigniter autem omnino mutantur ex aſſumtis alimentis potulentisue, aut aliis circumſtantiis ex
p. 48. vario vitae genere accidentibus. Caput ſextum diverſas qualitates fluoris albi exponit, qui aeque vt colores eius variant pro varietate cauſſae et materiae effluentis, huius maioris vel minoris morae in vteri et vitiorum ibi contractorum. Inueteratus fere malignioris indolis et periculoſior ſaepe eſt, quam recens. Ab his diuerſis qualitatibus odor etiam diverſus determinatur. Deſcribit nunc Cl. Auctor
p. 50. diuerſas fluoris albi ſpecies. Seroſus copioſior oedemata, pallorem, cet. efficit. Qui flaueſcentis coloris eſt, copioſus et foetens; viſcoſus autem virideſcens, plus minusue corrodens eſt. Peſſimus eſt nigricantis vel obſcuri coloris. Qui coloris pallidi et albi ſunt, pertinaciores ſunt, at minus periculoſi. Qui loturam carnium aequant, maximopere irritant. Albi cancroſi, ſanioſi et putridi peſſime foetent et quaecumque tangant, arrodunt. Cacochymia ſcorbutica fluorem album ſemper irritat et ſaepe acrio-
p. 52. rem reddit. Ea ſpecies, quae puri ſimilem materiem ſiſtit, interdum verum pus tantum eſt, interdum pus cum materia diuerſae penitus naturae remiſtum. Alia eſt ſpecies, cuius materia liquori ſeminali ſimilis eſt, at acris et vellicans. Fluor albus chyloſus, paullo poſt paſtum inprimis copioſior, lenis eſt, et ſiſtit chylum ob deprauatam digeſtionem non rite ſubactum, inde ad vterum delatum et ibi cum aliis humoribus vitiatis depoſitum. Eiusdem fere originis atque indolis eſt lacteus, cuius in ipſo

corpore

corpore facile oriundam acrimoniam multa documenta probant. Cumque omnes humores corporis, ſanguis, bilis, vrina cet. adeo facile acrimoniam contrahant, mirum non eſt, fluorem album itidem, ſi in cellulis vteri commoretur, acriorem reddi. Vnde autem differentes adeo characteres diverſae eius ſpecies acquirant, in capite ſeptimo perpenditur. Secretio, quae in ſtatu naturali fieri debet in vtero, aeque ac reliquae in corpore obuiae, certis legibus eſt ſubiecta. Quodſi ergo a quacumque demum cauſſa circulus humorum in eodem impeditus fuerit, humor aquoſus, ſubſtantiam internam eiusdem irrorans, augetur adeo, vt in ſenſus incurrat: inde fluor albus aquoſus, ſimplex, benignus, qualis fere in principio eſſe ſolet. Subſiſtentibus aut auctis cauſſis, augetur morbus, excretoria irritantur, relaxantur, liquoribus denique omnis generis deprauatis atque inter ſe commiſtis ſuſcipiendis apta redduntur; inde cum primo pars aquoſa ſanguinis prodiit, ſuccedit poſtmodum ſeroſa, fibroſa, mucilaginoſa, bilis, chylus, lac, ſanguis ipſe. Docent hoc cadauera feminarum, morbo hoc affectarum: et reliquas etiam ſecretiones iisdem mutationibus obnoxias eſſe, Cl. Auctor vrinae et bilis exemplis demonſtrat. Caput octauum ſigna fluoris albi docet, qui et ſi ab aegris intempeſtiuo pudore permotis reticetur, ſatis tamen cognoſcitur ex inſpectione linteorum et vrinae, quae, durante fluore, ſedimentum deponit pituitoſum magisque album et crudum, quam in ſtatu ſano, aut inhaerentes oſtendit flocculos albos et pituitoſos. Signa diuerſitatis fluoris albi ex coloribus eiusdem atque effectibus ſeu ſymptomatibus depromenda ſunt, de quibus igitur caput nonum agit. Si cacochymia illum produxit, totum corpus ſenſim ſenſimque debilitatur, cachectiuum redditur, et, morbo auctо, febris lenta, phthiſis

p. 68.

p. 70.

phthiſis et plurima alia incommoda accedunt, quae, fluente per pudenda materia, breue ſolamen acquirunt, quamquam ipſo profluuio ſemper exaſperan-
p. 81. tur. Sunt vero et cuilibet parti corporis, cuius vitio ortum debet fluor albus, peculiaria ſymptomata, eaque pro diuerſitate ipſarum partium varia, alia capitis, alia pectoris, alia ventriculi, meſenterii, hepatis, lienis, viarum vrinariarum, vaſorum ſpermaticorum, vteri ipſius, quae omnia formam ſaepiſſime mutant. HIPPOCRATES copioſe deſcripſit ſymptomata et effectus variarum ſpecierum morbi huius, et obſeruationes ipſius cum iis, quae nunc fiunt, conueniunt.

p. 91. Sectio ſecunda ſiſtit diuerſas morbi noſtri relationes, et primum quidem caput de fluore albo haereditario exponit. Generatim diſquiſitis cauſſis morborum haereditariorum cum in parentibus, tum nutricibus, et a priori, et per experientiam monſtratur, fluorem album omnino inter eosdem referri
p. 99. debere: imo ex obſeruatione BALLONII idem contagioſus eſſe poteſt. Caput ſecundum fluorem album cum aliis morbis complicatum ſiſtit. Semper ille ſymptomaticus eſt, numquam criticus: morbi autem cum eo complicati vel ex actionibus partium corporis ab eodem vitiatis pendent, vel
p. 105. tantum epigenomena ſunt. Hi vel acuti eſſe poſſunt, vel chronici: priores, niſi iam fluida exhauſta fuerint et ſolidorum robur fractum, curationem quidem admittunt, at tardam et difficilem, aeque ac alii morbi acuti facile in cachexiam, maraſmum, hy-
p. 106. dropem, phthiſin cet. tranſeunt. Morbi chronici, fluori albo ſuperuenientes, ſponte numquam ceſſant, artis auxiliis non niſi rariſſime cedunt: ſi ſubſiſtant, vterque morbus omnem medelam reſpuit. Qui ab ipſo fluore albo originem ducunt,

ple-

plerumque terminantur ſcirrhis viſcerum abdominalium, vlceribus ſaepe cancroſis, aliisque funeſtis accedentibus. Referenda huc etiam eſt grauiditas, quam aut abortus ſequitur, aut fetus languens excipit, qui etſi, quod rarius euenit, emergat, per totam tamen vitam imbecillis eſt et eamdem indolem haereditate in poſteros propagat. Rarius etiam ſtatus puerperii incommodis iisque multiplicibus caret. Caput tertium docet, in quo differat fluor albus ab aliis morbis, qui eum mentiuntur; quorſum pertinent menſtrua mali coloris, pus ex vlceribus vteri promanans, mucus ex haemorrhoidibus vteri et gonorrhoea. Menſtrua peruerſi coloris dignoſcuntur ex ratione ortus ipſorum, periodorum, quas ſeruant et toto corporis habitu: pendent enim fere ab acrimonia ſcorbutica. Vlcera matricis vel ſunt ſuperficialia, vel degenerant in carcinomaticam indolem: ſaepius etiam ſcirrhus verus in vtero haeret. Symptomata ſcirrhi vel vlceris cancroſi, pus excretum, interdum ſanioſum, interdum quoque ſanguine remiſtum, eius mutatio ſucceſſiua, facile morbum a fluore albo diſtinguunt. Neque difficilis redditur diſtinctio, ſi ambo morbi inter ſe complicentur. Haemorrhoides nonnumquam circa collum vteri aeque ac circa inteſtinum rectum oriuntur; has tactus et, deductis genitalibus, ipſe viſus detegit, et cruor effluens, quem materia mucoſa, albicans, albumini ouorum ſimilis, excipit, optime diſtinguit. Gonorrhoeae feminarum tres ſunt ſpe- p. 120.
cies: acuta (maligna), ſimplex (benigna) et, quae ex vtraque priorum oritur, chronica ſeu habitualis. In omnibus liquor promanat ex glandulis pudendorum externorum, diuerſus pro varia morbi ſpecie, vix non ſemper a cauſſa venerea ortum trahens, quam ſi ſemper confiterentur aegrotae, diſtinctio a fluore albo facillima foret: quum vero iis hac in re

p. 126. fidendum non ſit, ponenda eſt diſtinctio in partibus affectis, quae ſunt in gonorrhoea partes pudendae externae, in fluore albo vterus et vagina; in doloribus et ſymptomatibus eadem ex ratione diuerſis; in interuallis, quae in gonorrhoea nulla eſſe ſolent, in fluore albo, quam diu ſitus horizontalis ſeruatur, adſunt. Interim complicatur interdum morbus et tum alteruter ex ſignis ſibi propriis diſcernendus eſt. Glandulas autem, quae ſedem gonorrhoeae conſtituunt, exulcerari poſſe ſola acrimonia humorum, nullo accedente miaſmate venereo, obſeruationes docent, quarum vnam memorat Cl. Auctor a ſe ipſo factam. Caput quartum metaſtaſes fluoris albi pro-
p. 130. ponit. Theoria metaſtaſium in vniuerſum docet, morbos contextus celluloſi plerumque metaſtaſin pati per eumdem, vti morbos contra ſyſtematis ſanguinei per vaſa. Cum vero fluoris albi cauſſae in
p. 136. vitiis omnium viſcerum partiumque corporis haerere poſſint, ille ſuppreſſus, facillime eadem viſcera petit, ex quibus ortum prius traxit. Oriuntur inde vlcera partium quam maxime remotarum, tumores, puſtulae, purpura ſcorbutica, totum corpus occupans, vlcera oris, ſaliuae et muci copioſior ad os affluxus: frequentiſſima autem, vt in omnibus morbis partium generationis, ad pulmones ſit metaſtaſis, phthiſeos aliorumque morborum viſceris huius cauſſam praebens.

p. 143. Sectio tertia cauſſas remotas fluoris albi pertractat et in primo quidem capite aeris ratio habetur. Si partes nociuae aeris reſorptae ſunt a corpore noſtro, natura easdem expellere intendit: cum autem eam partem deligat, in qua minimam reſiſtentiam
p. 146. inuenit, vterum eiusmodi euacuationi praeternaturali facile obnoxium eſſe, patet. Inde eluceſcit, cur fluor albus quibusdam in regionibus humidioribus,

bus, v. c. Belgio, endemius morbus ſit: epidemicum autem eumdem producit tempeſtatis nimia humiditas, qualis fuit, cuius in actis Wratislauienſibus ſub initium huius ſeculi mentio facta eſt. Frequentior autem et grauior eius cauſſa in alimentorum peruerſa qualitate ſita eſt, de qua caput ſecundum agit. Ex quo enim, peiore reddita per dilu- p. 151.
vium orbis terrarum conditione, receſſerunt homines a ſimplici illo prioris aeui victus genere, ſaeua iſta morborum terris incubuit cohors, adiuta inprimis abuſu aromatum, quibus ſolida ſtimulantur et ad crebriores contractiones fortioresque motus disponuntur, fluidisque ideo damnum infertur. Cibi viſcidi morbum noſtrum mire fouent, qua in re alia cauſſa poſita deprehenditur, cur ille in Belgio adeo frequens ſit. Caput tertium abuſum diverſorum potus generum conſiderat in genere: p. 170.
quartum vero aquam vitiatam, tamquam cauſſam remotam morbi noſtri. Verum quidem eſt, aquam puriſſimam nec nutriendis plantis, nec praebendo potui idoneam eſſe: ſed ſalubritas eius conſiſtit in conuenienti quantitate particularum ei admiſtarum. Optima ea iudicanda eſt, quae facile per corpus tranſit, nec ventriculum grauat. Admiſtae particulae heterogeneae ſaepe medicam eidem virtutem conciliant, ſaepe eam nociuam reddunt et inter alios effectus etiam coagula et obſtructiones humorum efficiunt. Inde apparet, cur aquae Vindobo- p. 179.
nenſes, ſimplici coctione ſalſedinem contrahentes, fluoribus albis generandis adeo faueant. Quodſi etiam fluor albus non immediate pendeat ab eiusmodi aquis, tamen mediate, corruptis corporis actionibus, ab iisdem proficiſcitur. Caput quintum p. 183.
de factitiis potus generibus exponit. Haec omnia, praecipue ſpirituoſa, ſolummodo ratione aquae, baſin ipſorum conſtituentis, vtilia cenſenda ſunt. Vi-

num, cuius ſtimulo conſuetudine aſſueti fumus, nonniſi multa aqua temperatum bibendum eſt. Acetum eius, teſte HOFFMANNO, inter cauſſas maxime ſollemnes referri debet, cur fluor albus in Flandria praeſertim adeo frequens eſt. Cereuiſia recentior vtero ſemper infeſta eſt. Quae a ſpirituum inflammabilium variis generibus damna metuenda ſint, facile perſpicitur. Coffea neruoſum ſyſtema irritando affectiones vaporoſas et fluorem album produ-
p. 194. cit. Theae abuſui morbus iſte adſcribitur in Germania, Flandria et Aquitania inferiori. Chocolata, adiunctis aromatibus, peior redditur et, incraſſando humores deſtruendoque digeſtionem, fluori albo ortum praebet, in quo adeo color ipſius, aſſumto antea hoc potus genere, obſeruatus fuit. Caput ſextum exceſſum motus et vigiliarum, quietis et ſomni expendit. Motus iuſto minor ſolida relaxat et fluidis lentorem comparat, indeque omnibus morbis inde oriundis fores pandit. Vigiliae modum ex-
p. 201. cedentes, inprimis cum motu vehementiori, vt ſaltatione cet. coniunctae, ex altera parte ſanitati officiunt. Maximum in genere damnum vitam deſidem et otioſam ſequitur: neque vllus eſt morbis, qui ex eadem non ſcaturire poſſit. Caput ſeptimum excretionum vitia atque alia accidentia externa, tamquam cauſſas fluoris albi conſiderat. Excretiones quaelibet, ſi a norma naturae recedant, principium morbi ſiſtunt, niſi vel natura ipſas alio modo ſuppleat, vel damna, ex turbato hoc ordine imminentia, alia ratione praeuertat. Sic feminae, quae ſerum acre per nares et bronchia excernere conſueuerunt, euacuatione hac imminuta vel ſuppreſſa, fluori albo obnoxiae ſunt. Immoderatum menſium profluuium circulum humorum in infimo ventre turbat, qui ad vterum, locum minime reſiſtentem, delati, vaſa eiusdem relaxant et ad ſuſci-

pien-

piendam perpetuo ſeroſam ſanguinis partem, adeo- p. 220.
que ad morbum noſtrum, diſponunt: idem fit, diminutis aut ſuppreſſis menſtruis, vt et poſt partum laborioſum, abortum aut molam, quod HIPPOCRATES iam annotauit et poſteri ſemper confirmarunt. Potiſſimum imprudentior ſecundinarum extractio funeſta huius mali cauſſa frequenter ſatis exiſtit. Sicut abortum crebrius fluor albus ſequitur, ita idem viciſſim abortus cauſſa ſatis communis eſt. Caput octauum affectus animi, vt cauſſam remotam morbi noſtri, recenſet. Omnes ad duas p. 235.
claſſes generales redeunt, gaudium nempe ac triſtitiam. Vterque affectus, ſi modum excedat, nocet: morbo vero noſtro potiſſimum triſtes affectus fauent, quod ſolidorum robur minuunt et fluidis lentorem inducunt, cuius peculiare exemplum Cl. Auctor ipſe vidit. Caput nonum teneritudinem conſtitutionum producendo malo huic fauere oſtendit. Temperamentorum diuerſitas a nutritione et vitae genere pendet. Ex his ergo cauſſis morborum quoque origines deduci oportet. Inprimis vero praematurum coniugium, anteaquam corpus debitum robur nactum ſit, feminas debilitat et largum morborum fontem ſubminiſtrat. Latet etiam plurimorum morborum ſcaturigo in neglecta nutritione infantum, cuius negligentiae poenam matres luunt, quod in capite decimo copioſe demonſtratur.

Recenſitis cauſſis remotis, progredimur ad par- p. 258.
tem ſecundam totius operis, in qua cauſſarum propiorum ſeu earum, quae non pendent a mutationibus externis, ſed in corpore ipſo exiſtunt, et immediatarum, quae in vtero ipſo haerent, examen traditur. Hac diuiſionis ratione tota pars in duas ſectiones diſpeſcitur. Facile vero patet, tantum

hic tradi effectum earum cauſſarum, quae in parte prima iam commemoratae fuerunt, in varias corporis partes et actiones, et monſtrari, quomodo ex iis demum vitia vteri, et ſpeciatim fluor albus, pendeant. Hinc ſubſiſtamus tantum in recenſendis capitum ſeriebus, quo ex iisdem perſpiciatur ordo
p. 260. tractationis, a Cl. Auctore ſeruatus. In ſectionis prioris capite primo ſtatus fluidorum et ſolidorum in genere conſideratur, cum ille a conditione naturali recedere incipit. Caput ſecundum ſolida debilia et relaxata et fluida per ipſam vaſorum relaxatio-
p. 281. nem nimis attenuata; tertium ſolida nimis rigida et tenſa, et fluida hanc ipſam ob cauſſam nimis condenſata; quartum irritabilitatem ſolidorum; quintum vitia fluidorum; ſextum obſtructiones ſimplices et compoſitas; ſeptimum deprauatum corporis vniuerſi ſtatum, et ſequentia quatuor capita morbos partiales, nempe defluxum ex capite, ſecretiones conſuetas imminutas aut ſuppreſſas, morbos pectoris, viſcerumque abdominalium, tamquam
p. 375. cauſſas propiores fluoris albi pertractant. Sectio altera in capite primo relaxationem fibrarum vteri, in ſecundo infarctus, obſtructiones et humores viſceris huius vt cauſſas proximas recenſet. Omnia haec obſeruationibus cum aliorum, tum ipſius Cl. Auctoris, illuſtrantur. Vltimum demum caput cauſſam hypotheticam fluoris albi adfert, quam nuper demum Auctor quidam non ignobilis famae in vaſis lacteis vteri poſuit, quae ſententia parum differt ab ea, quam VIEUSSENIUS ſub initium huius ſeculi, et multo quidem probabiliorem, propoſuit.

Tom. II p. 1. Tomus ſecundus ſeu pars tertia totius operis curationem morbi noſtri complectitur. Sectionis primae caput primum docet, medicos ſolos curare poſſe

poſſe illum, quippe quibus indolem eius variam cauſſarumque diuerſitates cognoſcere datur. Caput ſecundum media generalia tradit praeuertendi et curandi morbum, ſi aer cauſſa eius remota fuerit. Solum regimen externum non ſufficit, ſed iungenda ei ſunt auxiliorum alia genera. In aere cali- P. 17.
diori frigida aqua copioſe quidem vtendum, ſed gradus frigoris ipſius ſollicite calori interno corporis adaptandus eſt. Summus enim frigoris gradus ſubito applicatus nocet: ipſum tamen per gradus augere omnino conducit. Hoc modo diiudicandae P. 18.
ſunt potiones nitroſae aut, additis acidis vegetabilibus, valentiores redditae. Acida mineralia nonniſi cautiſſime vſurpanda ſunt, cum coagula humorum ſemper augeant. Ptiſana ex hordeo et emulſiones ſeminum nocent, cum calor atmoſphaerae iam fluida ſpiſſiora reddit. Melius eſt, ſero lactis vti. Plethora ſpuria, a calore atmoſphaerae inducta et morbo noſtro mire fauens, demulcentia et leniter laxantia poſtulat: calor humidus cum adeo facile putredinem in corpore animali excitet, vſum victus animalis prorſus excludit: vtendum tunc eſt farinaceis, vegetabilibus, acidulis, antiſcorbuticis; in maiori diſſolutionis vel relaxationis gradu pauco vino, et, additis guttis aliquot ſpiritus vitrioli, ptiſanae, cui tamen, vbi irritatio maior fuerit aut agrypnia, liquor anodynus HOFFMANNI ſubſtituatur. Conuenit etiam corticis chinae et caſcarillae vſus, quibus catechu in effectibus ſimilem ſe praeſtitit. Neque balſama natiua aliena ſunt. Frigus atmo-
ſphaerae vaſa contrahit et plethoram efficit: incom- P. 26.
moda, inde metuenda, ſanguinis miſſio et diaeta auertunt. Vtendum ergo tunc eſt potu calido emolliente et non nihil aperiente, balneis domeſticis caute adhibendis, victu animalis potius, quam farinaceae indolis, laxantibus parcioribus, quam in prio-

ri atmoſphaerae conditione, neque tamen, cum ne-
p. 31. ceſſaria fuerint, negligendis. Frigus humidum reſtitutionem toni viſcerum, denſitatisque fluidorum, euacuationem materiae peregrinae et vſum denique roborantium et tonicorum poſtulant, cum cauſſae fluoris albi ſublatae fuerunt. Caput tertium de incommodis, ex abuſu alimentorum praecauendis et curandis, agit. Miramur autem, Cl. Auctorem huic capiti inſeruiſſe tractatum de variis cauſſis, quae fetui, in vtero materno verſanti, damnum contrahere poſſint, et de detrimentis, quae matribus ipſis inde imminent, v. c. de abortu earum, quae fluore albo laborant, de incommodis ex concubitu, inſtantibus menſtruis, peracto, de iuſto pretio, balneis, grauiditatis tempore, ſtatuendo, de
p. 51. cura morborum puerperarum cet. Tandem ad diaetam puerperarum accedit, et nutritionem infantis recens nati eiusdem tractationi ſubiungit. Et
p. 58. ab hoc demum argumento deducitur ad illud, quod fronti capitis inſcriptum eſt, nempe damna ex abuſu alimentorum. His demum praeſtitis, curatio cauſſae proximae ſuſcipienda eſt, quae ſuo loco tradetur. Caput quartum potus varia genera eodem, quo in praecedentibus capitibus factum eſt, modo
p. 69. expendit. Miſſis generalioribus, hic tantum notamus, potum in morbo noſtro differre debere pro diuerſa eiusdem indole; in denſitate fluidorum et rigiditate ſolidorum debet eſſe copioſus, demulcens, temperans, leniter aperiens; in relaxatione minus copioſus, ex tonicis et aperientibus mitiſſimis, imo nonnumquam ex adſtringentibus lenioribus paratus; in purulento morbi ſtatu detergens et vulnerarius. In noxis, a liquoribus fermentatis inductis, primo ii ipſi moderatius adhibendi, vel, ſi fieri poteſt, plane vitandi ſunt; poſtea regimine leniori et humectante vtendum, et omnia ea in victu

fugi-

fugienda, quae ſolida irritare et fluida ſpiſſare poſſunt. Cura lactis hic prae reliquis commendatur. Coffea relaxatas ventriculi fibras roborando interdum proficuum in fluore albo remedium fuit: continuatus tamen vſus eiuſdem damno numquam caret. Caput quintum de praecauendis et curandis fluoris albi ſpeciebus exponit, quae exceſſui motus et quietis, ſomni et vigiliae originem debent. Morbus ab exercitio nimio poſuit quietem, demulcentia, temperantia, ſedantia, balnea; obſtructiones inde inductae eadem remedia leniter aperientia reddi iubent. Praeſtant vegetabilia remedia mineralibus. Morbus a nimia quiete exercitium moderatum requirit, cuius effectus iuuatur vitando alimenta aquoſa, vtendo potionibus aperientibus et tonicis, infuſis amaris reſoluentibus, decocto radicis chinae cum nitro, pauco vino in prandio, purgantibus ex rheo, aloe, ialappa. Vigiliarum effectus corrigunt et p. 81.
praecauent diaeta, regimen, exercitia moderata et euitatio affectuum animi. Si eae prouenerint ab irritatione, ſiccitate, rigiditate fibrarum, demul- p. 82.
centibus, humectantibus, emollientibus et laxantibus opus eſt: ſerum lactis hic egregium vſum praeſtat. Eadem conducunt, ſi cauſſa in calore interno latitet; iungenda tamen iis ſunt balnea, ſedantia nitroſa et praecipue vitriolica, venaeſectio in brachio vel pede pro varia indicatione, veſicatoria, euacuantia et praecipue diaeta. Somnus nimius poſcit exercitia animi corporisque, aliaque remedia cauſſae ipſius accommodata. Caput ſextum de ex- p. 84.
cretionum vitiis ceterisque cauſſis externis agit. In quauis morbi noſtri ſpecie curanda atmoſphaerae ratio habenda eſt, quia nexus eiusdem cum perſpiratione adeo inſignis eſt. Dein ad vitia menſium p. 98.
progreditur eorumque variis cauſſis diuerſa opponit medicamenta. Fluoris albi, poſt partum labo-

rioſum exorti, curationem recenſet Cl. Auctor, laxante ex caſſia, parciſſima tartari emetici copia effi-
p. 110. caciore reddito, et ptiſana demulcenti. In capite ſeptimo, quomodo tractandi ſint affectus animi, ſi morbi noſtri cauſſa exſtiterint, docetur. Ac potiſſimum melancholiae tum taciturnae, cum ferocis mentionem facit, quam ſine praegreſſa viſceris cuiusdam labe oriri ex hoc morbo poſſe, non arbitratur. Commendat hic itinera, ſanguinis miſſiones, demulcentia, balnea, euacuantia, neruina, excepto
p. 127. opio, roborantia et victum farinaceum. Caput octauum fluoris albi a temperamentis oriundi curam complectitur. Vbi reſpicit Noſter ad ſanguinem, laxitatem vaſorum, pituitam, bilis ſe et excretionem et nonnulla de fluore haereditario albo ad normam diuerſae conſtitutionis ſolidorum ac
p. 143. fluidorum addit. In capite nono remedia indicantur, quibus infantes a damnis lactis peruerſi nutricum liberari poſſint et quomodo matres non lactantes a fluore albo immunes ſint ſeruandae. Priora quod attinet, vberior eorum tractatio reſeruatur recenſioni cauſſarum propiorum, alterum autem argumentum amplius pertractatur, et de febre lactea eiusque curatione, purpura puerperarum, apoplexia lactea, doloribus poſt partum, fluxionibus lacteis pectoris, diarrhoeis, inflammatione vteri, lochiorum vitiis et metaſtaſi lactea diſſeritur, iisque medendi methodus proponitur.

p. 211. Sectionis ſecundae capita exacte reſpondent capitibus ſectionis primae partis ſecundae, in qua cauſſae propiores fuerunt recenſitae. Fluoris albi in feminis, nondum nuptis duo ſunt genera, vnum haereditarium, alterum effectus temperamenti vividi et facillime irritabilis. Vltimum leuatur coniugio, ſanatur penitus grauiditate; vtroque autem remedio prius genus exacerbatur. Elegantem hic

pro-

propoſitam medendi methodum quod attinet, dolemus, nos, qui diutius iam in praecedentibus immorati ſumus, nihil hic addere poſſe.

Progredimur tandem ad ſectionem tertiam, quae curationem immediatarum cauſſarum fluoris albi tradit. Caput primum de relaxatione vteri agit, quae a relaxatione totius corporis, vel a cauſſa, in vtero haerente, proficiſci poteſt. In relaxatione chronica, ſuppuratione quadam orta, conducunt, praemiſſis detergentibus plantis, balſama naturalia cum camphora coniuncta. Magna autem in curatione opus eſt cautione, ne imprudenter hic fluor coerceatur fortioribus adſtringentibus vno quaſi impetu. Suadet propterea Noſter principium facere tonicis, ſiue relaxatio totum corpus, ſiue vterum tantum tangat, dein lenioribus adſtringentibus vti, quibuscum balnea, fomentationes, iniectiones, inprimis ex aquis martialibus, ſuffimigia, ad acrimoniam temperandam aqua tepida, decoctum hordei ſeu ſerum lactis coniungi poſſunt. Penitus ab iis abſtinendum eſt, ſi menſtrua fluunt. p. 553.

Caput ſecundum exponit curationem infarctus, obſtructionum, tumorum et vlcerum in vtero vt cauſſarum immediatarum fluoris albi. Morbus is, ab infarctu pituitoſo vaſorum vteri pendens, curatur ptiſanis laxantibus, aquis martialibus iisque iunctis ſalibus mediis, purgantibus repetitis, iisque interpoſitis iuſculis cum herbis laxantibus et reſoluentibus coctis, reſoluentibus ex vegetabili aeque ac minerali regno, millepedibus, extractis amaris, aloe, ſi menſtrua irregularia, parciora vel ſuppreſſa fuerint, ſin minus, ialappa et diagrydio; quorum remediorum vſus pro varietate cauſſarum eligi et exercitatione et regimine iuuari debet. Ex obſerua- p. 574. tionibus Auctorum patet, ſcirrhos a partu ortos facilio- p. 591.

ciliores curatu, quam qui ab alia quacumque cauſſa prouenerint. In cura cancri in variis corporis
p. 594. partibus belladonnae multum tributum eſt: re autem curatius examinata, perſpectum eſt, ex omnibus allatis aegrarum exemplis nullam vero cancro laboraſſe, ſed tantum infarctu ſimplici, glandulis induratis, humoribus exiguis et decubitu lacteo; quae ideo incommoda aeque facile aliis remediis vinci potuiſſent. Similis fere ratio videtur eſſe cicutae, quae ex ipſius Cl. Auctoris obſeruationibus in ſcirrho prorſus nihil effecit, cancrum autem le-
p. 596. niuit quidem, non vero curauit. Ad curam palliatiuam cancri ſuadetur ex mente MORGAGNII iniectio lactis, cum opiato remiſti. BALLONII conſilium, ſaturnina exterius applicandi, itidem aliqua
p. 597. ex parte proficuum inuentum fuit. Reſpiciendum eſt, vtrum vlcera vteri proueniant a vitio totius corporis vel viſceris cuiusdam, an a ſolo vtero. In priori caſu remediis iam alibi allatis vtendum eſt, euacuantibus et alterantibus; in altero curatio cauſſis accommodari debet, quae pariter ex iam adductis repetenda eſt. Symptomata remedia parti-
p. 599. cularia indicant. BALLONIUS regimen ſtrictum, vſum purgantium leniorum, clyſmatum emollientium et anodynorum et vegetabilium alterantium ſuadet, et inprimis ſerum lactis in mortario plumbeo cum ſucco vnius vel alterius iſtorum vegetabilium commiſtum commendat. Numquam in eorum curatione vulnerariorum et balſamicorum vſus internus negligendus eſt: cui fini balſama egregie inſeruiunt. Laudem etiam merentur aquae minerales ſaponaceae, tum interne adhibitae, tum in vterum iniectae. Iniectio HOFFMANNI ex balſamicis et aqua vulneraria tum demum locum habere videtur, quum, praegreſſa cura cauſſarum, vlcera cicatricem non formant.

III.

III.

L'hiſtoire naturelle éclaircie dans une de ſes parties principales, l'ornithologie, qui traite des oiſeaux de terre, de mer et de riviere, tant de nos climats, que des pays étrangers. Ouvrage traduit du Latin du ſynopſis auium de RAY, augmenté d'un grand nombre de deſcriptions et de remarques hiſtoriques ſur le caractere des oiſeaux, leur induſtrie et leurs ruſes. Par Mr. SALERNE, Doct. en Médec. à Orleans, Correſp. de l'Acad. Roy. des Scienc. à Paris chez Debure Pere, 1767. 4. mai. 2 Alph. 12. pl. tab. aen. 31.

i. e.

Hiſtoria naturalis quoad praecipuam ſui partem illuſtrata; ornithologia, quae de auibus terreſtribus marinis et fluuiatilibus, tam noſtri climatis, quam regionum peregrinarum agit. Opus ex ſynopſi auium RAII latina gallice conuerſum, pluribusque deſcriptionibus et animaduerſionibus hiſtoricis de natura et ingenio auium, earum ſollertia et aſtutia auctum. Auctore Cl. SALERNE M. D.

Exhibet hoc opus, vt iam ex praefixo titulo apparet, hiſtoriam auium RAII, quam verſionis Gallicae Auctor vel editor ducentis ſpeciebus ex WILLOUGHBEYO, KLEINIO, GESNERO, LINNAEI Fauna variisque itinerariis collectis, quae apud RAIUM deſiderabantur, auxit. Inſeruit quoque locis ſuis aues peregrinarum regionum, quae RAII libro, appendicis loco, additae erant.

Cete-

Ceterum non ſolum nomina aut exterioris formae deſcriptiones hic exhibentur, ſed vita quoque et natura auium deſcribitur. Syſtematica LINNAEI nomina, vbique nunc recepta, hic deſiderantur, neque Cl. Auctor BRISSONII aliorumque recentiorum ſcriptis ita vſus eſſe videtur, quemadmodum debuerat. In tabulis aeneis centum circiter aues delineantur, quae in nonnullis exemplis viuis coloribus diſtinctae reperiuntur, atque in vniuerſum opus hoc ita adornatum eſt, vt continuatio conchyologiae et lithographiae Cl. D'ARGENVILLE *) haberi poſſit. Paſſim obſeruationes variae inſertae ſunt, quas Auctor Cl. communicatas accepit, a venatoribus aliisque, quibus opportunitas erat, varias aues obſeruandi; ex quibus exempli loco quaedam attuliſſe ſufficiat.

p. 18. Ante plures annos in Gallia auis, nunquam antea ibidem viſa, piſcibus victitans, occiſa eſt, tantae magnitudinis, vt extremitates alarum octodecim pedes a ſe inuicem diſtarent. Dorſum ex nigro, griſeo et albo variegatum, abdomen vero coccinei coloris erat. Coniicit Cl. Auctor *vulturem gryphum* LINN. ſiue *condour*, quae auis in America Auſtrali

p. 71. reperitur, fuiſſe. Struthio, qui in Guinea aliisque calidioribus regionibus noctu tantum ouis incubat, ad Caput bonae ſpei die nocteque iis inſidet.

p. 142. *Phaſianos colchicos* non granis tantum, ſed et cadaue-

p. 258. ribus veſci, obſeruatio exſtat. *Loxiam pyrrhulam* et *fringillam Canarienſem* inter ſe coitu miſceri, ſpeciemque hybridam ex hoc coitu naſci, Auctor Cl.

p. 286. aſſerit. Quid ars humana in naturali animalium inſtinctu mutando efficere poſſit, patet ex hiſtoria *fringillae*

*) L'hiſtoire naturelle éclaircie dans deux de ſes parties principales la lithologie et la conchyologie. à Paris. 1742. 4. chez de Bure. Conf. Comment. Vol. V. p. 652.

gillae Canarienſis cuiusdam, quae quotiescunque vocem felis, quam iuſſu dominae illa edebat, audiuiſſet, caueam deſeruit, felisque capiti inſidens, ſuauiter cantauit. Anatem feram pullos, volatui nondum idoneos, ex vno loco ad alium transferre confirmatur. p. 428.

IV.

MARTINI TH. BRUNNICHII rerum naturalium et oeconomicarum in vniuerſitate Hafnienſi lectoris publici ichthyologia Maſſilienſis, ſiſtens piſcium deſcriptiones eorumque apud incolas nomina. Accedunt ſpolia maris Adriatici. Hafniae et Lipſiae apud Rothii viduam et Proft. 1768. 8. pl. 8.

Cl. BRÜNNICHE in itinere, per magnam Europae partem ante aliquos annos inſtituto, Maſſiliae commoratus, piſces, quos ibidem reperire poterat, omnes accurate deſcripſit, nominaque vulgaria, quae lingua Gallo-prouinciali iis dari ſolent, et ab ARTEDI nominibus differunt, addidit.

In praefatione Cl. Auctor notat: differentiam numeri radiorum ſummam nunquam tres vel quatuor ſuperare in dorſalibus et analibus pinnis; ventrales vix vnquam numero radiorum variare. Addit quoque *ſpari*, *labri* et *percae* genericos characteres, differentes a characteribus, a LINNAEO datis. Inter ipſas ſpecies plures nouae ſunt, quae in Linnaeano ſyſtemate deſiderantur. *Squalum edentulum* deſcribit, cuius tamen caput tantum vidit, qualem GUNNERUM Cel. etiam obſeruaſſe, alio loco diximus *). *Syngnathi hippocampi* deſcriptio a Linnaea- p. 6. p. 10.

*) Act. Nidroſ. Vol. III. p. 28. vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 674.

naeana quoque valde differt. Piſce hoc combuſto et in puluerem redacto, contra lac mulierum coagulatum, Dalmatiani vtuntur. Noua eſt *gymnoti* ſpecies, quam *acum* vocat, nec non *gadus tricirratus* et *blennoides*, variaeque *gobii*, *ſpaci*, *labri*, *percae* etc. ſpecies.

p. 13.
p. 22.
p. 85.
p. 109.

In ſpoliis maris Adriatici aliquot amphibia piſcesque plures deſcribit, quorum nomina Dalmatiana paſſim Auctor Cl. addit. Varii quoque noui inter eos ſunt, vel nondum accuratius determinati. Adduntur tandem cancri et vermes nonnulli. Corallium nonnunquam habere roſaceum colorem naturalem, Cl. Auctor confirmat.

V.

Brief van IOHANNES ALBERTUS SCHLOSSER M. D. Medelid van de Koninglyke Maatſchappy der Weetenſchappen van Londen, aan den zeer eruaarenen en kundigen Heere FERDINAND DE JEAN, oulangs bervemd Stads Heelmeeſter der Stad Batauia, behelzende eene naauwkeurige Beſchrijuing der Amboinſche Haagdis etc. Amſterdam 1768. ſumtibus Auctoris. 4. mai. pl. 8. tab. aen. color. diſtincta 1.

i. e.

IOHANNIS ALBERTI SCHLOSSER M. D. Soc. Reg. Scient. Lond. Soc. Epiſtola ad Virum Exper. Perit. FERDINAND DEJEAN, celeberrimum nuper apud Indos vrbis Bataviae Chirurgum publicum ordinarium, de lacerta Amboinenſi, nouae plane huius ſpeciei, pulcherrimae et hucusque fere incognitae, accuratam deſcriptionem ac fidelem a peritis artificibus elaboratam delineationem, aeri inciſam ſiſtens.

Cl.

Cl. Auctor, cuius praematuram mortem, quae paullo poſt editionem huius libelli accidit; omnes boni lugent, epiſtola hac belgice et latine conſcripta, ſingularem lacertae ſpeciem accurate fuſeque deſcribit, quam a Cl. DEJEAN, cui haec epiſtola ſcripta eſt, dono accepit. Haec vero ſpecies praecipue ideo attentione digna eſt, quod per eam hiatus, qui inter *lacertam baſiliſcum* LINNAEI et *lacertam iguanam* EIUSD. in methodo naturali animalium adhuc ſupererat, hac noua ſpecie impletur. Habet enim ea nonnullos characteres cum vtraque ſpecie communes. Incognita fere in hunc vſque diem fuit, ſi obſcurum VALENTINI *) de p. 4. ea locum et rudiorem ad deſcriptionem paratam figuram exceperis. In ſola Amboina reperitur et vt *lacerta iguana* ad ripas fluuiorum habitat, carnemque ſapidiſſimam, carne *iguanae* adhuc praeſtantiorem, habet. Notum eſt, *lacertam baſiliſcum* LINN. pinnam dorſalem radiatam, *iguanam* vero EIUSD. futuram dorſalem dentatam habere. Huius vero *Amboinenſis* ſpeciei, ſpecificum characterem pinna caudalis radiata et futura dorſalis dentata ſiſtunt. Longitudo huius animalis triginta tres pollices circiter aequat. Color in capite et collari virideſcens, ſtriis albis diuiſus, fuſcus in dorſo et cauda, griſeus in ventre eſt. Maculis praeterea multis albis corpus vtrimque ornatur.

*) Vid. VALENTINI *deſcriptio veteris nouaeque Indiae orientalis* T. III. p. 281 et 282. atque in tabula adiecta litt. I.

VI.

Rariores obſeruationes medico practico anatomicae a D. CASPARO M. FORLANI medico, phyſico ac chirurgo et in Seneſſi Academia publico philoſophiae profeſſore editae. Decas prima. Senis ex typographia Aloyſii et Benedicti Bindi. 1769. 8. pl. 7. c. praefat. c. tab. aen. 3.

Quamquam ii, qui faciunt medicinam, eiusmodi libris, qui eodem conſilio conſcripti ſunt, quo Cl. FORLANI hunc, quem iam indicabimus, vulgauit, non ſunt deſtituti, tamen Noſter non deſperat prorſus de eius vtilitate. Spectat enim hic liber practicam anatomiam, morborumque obſeruationes ſtudioſe collectas, et cum iis, quas BONNETUS et MORGAGNIUS ſimiles annotauerunt, collatas, in ſe continet. Offert hic Cl. FORLANI decadem primam harum obſeruationum, in quas paullo accuratius inquirere nobis liceat.

p. 17. Obſeruatio prima agit de putrida febre petechiali cum molae excretione et de vtero bipartito. Femina nimirum annorum circiter triginta quatuor, mater vnius filiae, ante duos abhinc annos natae ac ſanae, febribus malignis epidemice graſſantibus, febre putrida afficiebatur tum, cum, vti illa aiebat, per tres menſes erat grauida. Praeter alia ſymptomata, his febribus communia, de doloribus in regione vmbilicali conquerebatur aegra anxia et debilis, et ſexto morbi die maculae intenſe rubrae, ad nigrum colorem vergentes, in cute apparebant. Rebus itaque ſic ſe habentibus, praedixit Noſter abortum et, diarrhoea, multis cum ſpaſmis coniuncta, oborta, haemorrhagia narium aliquoties accedente, maculisque citius euaneſcentibus, et doloribus magis

gis magisque augentibus praecipue in regione vteri, die nono ſanguis e pudendis fluebat, quem noctu mola carnoſa magnitudine oui anſerini, multis cum doloribus et largo ſanguinis profluuio ſequebatur. Aegra vero ita erat debilis, vt decimo quarto morbi, et quarto poſt abortum die viuere deſineret.

Sede morbi huius a Noſtro in abdomine poſita, p. 24.
ſolum quoque in ſectione cadaueris abdomen perquiſiuit. Ibi erat ileum inteſtinum leuiter inflammatum et inſigniter tumidum, vterus vero externe conſideratus in transuerſum vtroque latere magis extenſus et adhuc magis in parte ſiniſtra. Vtero transuerſe diſſecto, circa fundum ſecundum longitudinem in duas cauitates, interſepti ope a ſe inuicem ſeparatas, bipartitus reperiebatur. Interſeptum hoc erat eadem fabrica, qua vterus, circa fundum vero craſſius et in inferiori parte tenuius vtero, in qua duae hae cauitates in vnam confluebant. Siniſtra vteri pars anguſtior dextra et inflammata erat, vaſaque ampliora et craſſiora habebat, inque ea parte circa fundum erat mola quaedam eiusdem ſtructurae, ac ea, quae, viua adhuc aegra, expellebatur. Inferior pars fere tota gangraenoſa erat circa vteri orificium. Dextra autem vteri pars rugoſa, flaccida et laxa et ad totum eius ambitum nimis ampla, in qua Noſter filiam, quam antea pepererat, conceptam et nutritam eſſe arbitratur. Inferior vteri pars, qua confluebant cauitates, valde erat inflammata et gangraenoſa, inprimis circa orificii coronam, vbi aeque ac in ipſa vagina ſanguis corruptus reperiebatur.

In ſecunda obſeruatione deſcribitur abdomen in- p. 27.
ſigniter tumidum ex ſtruma, in teſticulo muliebri nata. Ruſtica valde laborioſa macilentae conſtitutionis et mater vndecim liberorum, quae in primo partu vnum infantem, in ſecundo duos, in tertio ite-

rum duos, in quarto tres magnitudine et ſanitate aequales, in quinto rurſus duos ac in ſexto vnum absque magnis incommodis peperit, in ſeptimo autem molas nonnullas ſarcomatoſas diuerſae magnitudinis, quarum quaedam fluido viſcidiori erant impletae, edidit. Bene ſeſe habuit nihilominus vſque ad quadrageſimum tertium aetatis annum, vbi catamenia, a decimo iam quarto anno rite ſuccedentia, parcius ac tenuius fluere coeperunt, corporisque eiusdem emaciatio augebatur et ſenſus tumoris, huc illuc in abdomine vagantis, percipiebatur. Abhinc menſtrua prorſus ceſſabant et tumor abdominis cum pedum varicibus atque oedemate, aluina ſiccitate et vrina parciore, dyſpnoea, magis magisque ita creſcebat, vt abdominis ambitum naturalem plus dimidio excederet, et miliares herpeticae circa vmbilicum, ex quibus continuo ſerum quoddam emanabat, conſpiciebantur. Hanc miſeram vitam transegit aegra per quatuor annos, variis interea fruſtra adhibitis remediis, et tandem ſumme emaciata, mente tamen integra aprili 1766 obiit.

p. 35. Antequam itaque ſectio cadaueris inſtituebatur, menſura abdominis, quae erat ſupra tertiae partis eiusdem totius corporis extenſionem, eſt explorata. Tum abdomine aperto, peritonaeum valde extenſum et craſſum reperiebatur. Introſpicientibus itaque peritoneum, apparebat tumor, communi circumdatus tunica, totum propemodum abdomen occupans cumque variis partibus in abdomine contentis e. c. omento, colo, tuba Fallopiana etc., arcte connexus, cuius inferior pars in regione vmbilicali firmiter affixa erat, et multis folliculis paruis externe circumcinctus. Quo horizontaliter diſciſſo, multi parui folliculi, et materiei, in ſe continentis, varietate et fabricae diuerſitate a ſe inuicem diſtincti, ex quibus tota interna tumoris compages conficiebatur,

tur, reperiebantur. Ampla ac ſuperior cauitas huius tumoris inſuper materia ſebacea granoſa ac virulenta ad pondus circiter quadraginta librarum, erat impleta. Vterus vero cum eius vagina nihil habebat praeternaturale, exceptis iis, quae tales graviditates ſequi oportet, et paruulis hydatidibus, fimbriis dextrae tubae et rotundo ligamento ſiniſtrae partis inhaerentibus. In eadem parte tandem muliebris teſticulus plane deerat, alter vero ſanus et integer ſpectabatur, excepta quadam eiusdem ſcirrhoſitate. Hic vero tumor ſeu potius ſtruma, vti appellat Noſter, vtrum ad ouarium, an ad glandulas lumbales ſeu meſocoli aut meſenterii pertineat, non ſatis intelligit, arbitratur tamen, ad muliebrem teſticulum partim ob vnius ſcirrhoſitatem, partim propter ſummam alterius abolitionem eſſe potius hunc tumorem referendum, hancque ſuam ſententiam, aliis doctorum virorum obſeruationibus, tumores ouarii ſpectantibus, laudatis, probat. In tabulis aeneis additis tumoris huius icones ſpectantur.

Agitur in tertia obſeruatione de catharro ſuffo- p. 45.
catiuo ob nimiam tracheae anguſtiam, bronchialibus glandulis ſcirrhoſis redditis, in puella tredecim annorum poſt mortem detectam.

Vehementiſſimus capitis dolor cum frigoris ſen- p. 49.
ſu in muliere ob tumorem folliculatum in ventriculo ſiniſtro cerebri in quarta deſcribitur obſeruatione. Mulier robuſta, mater quatuor filiorum a vigeſimo quinto aetatis anno ſemper grauem capitis dolorem cum frigoris ſenſu propemodum continuo percipiebat, cui accedebant deliria ſine febre, hyſtericae paſſiones interdum atque conuulſiones inprimis in dextra corporis parte. Quibus quidem, venaeſectionis et antiſpasmodicorum ope, ſopitis, iterum ad ſe redibat et, etiamſi haec inter grauiditatem accidebant, nihilominus tamen fetum ſanum et debito

tempore peperit. Tandem vero, ceſſantibus menſtruis, trigeſimo ſexto aetatis anno, et conuulſionibus, ſemper in dextra parte corporis adhuc conſpicuis, auctis, cum delirio ferino, alui ſegnitie, abdominis tenſione ſitique inexſtinguibili coniunctis, aegra trigeſimo nono aetatis anno vitam cum morte commutauit.

p. 52. Sectione cadaueris inſtituta, caput primum eſt diſquiſitum. Calua remota, praeter vaſa varicoſa et varia piſiformia tubercula in durae matris ſuperficie externa, toto cerebro horizontaliter disciſſo, in ventriculo ſiniſtro tumor folliculatus, materia glutinoſa flaueſcente, albumini ouorum non abſimili repleta, apparebat, quo rupto ob flacciditatem a compreſſione cerebri, totum ventriculum materia haec occupabat.

p. 58. In quinta obſeruatione peripneumonia vna cum cordis inflammatione, ob ſcabiem caninam imprudenter retropulſam, traditur. Mortuo ſecundo die morbi aegro, ſectio cadaueris inſtituebatur, vbi, tumoribus abdominis externis et internis animaduerſis, thorax aperiebatur et pulmo ſiniſter plane inflammatus deprehendebatur et in dextra parte ſeri flaui librae ſex in pleura erant. Pericardio diſſecto, cor mole auctum materia mucoſo flaueſcente, purulenta coopertum atque inflammatum erat.

p. 65. In ſexta obſeruatione haemoptyſis cum cordis palpitatione per nimiam dilatationem dextri cordis ac venae cauae conſideratur. Vir admodum robuſtus quinquaginta annorum de cordis palpitatione per quatuor annos conquerebatur, quibus ſuccedebant haemoptyſis et fluxus haemorrhoidalis. His morbis feliciter ſuperatis, duobus annis poſt in anaſarcam incidebat, qua quoque, idoneis remediis adhibitis, liberatus, iterum palpitationem cordis et haemoptyſin experiebatur tantam, vt, cachexia vniverſali

verſali corpori inducta, febre lenta ei eſſet moriendum.

Thorace aperto, ſerum copioſum et admodum flaueſcens eius ambas quidem, praecipue tamen dextram occupabat cauitates. Cor laxum tenuibusque praeditum fibris deprehendebatur, cuius dexter ventriculus et auricula cum ſinu venae cauae erant ampliora. Vbi ſanguinis grumi propemodum circulares detegebantur, qui ſanguinem ſolutum et ad nigredinem vergentem atque hydatides continebant. Valuulae ſemilunares et tricuſpidales erant prolongatae, quarum ſemilunarium vni media in parte adhaerebat tumor folliculatus nucis auellanae magnitudine et ſebacea materia repletus. In parto ſiniſtra vlcus pulmonum ſpectabatur. Praeter alia, in abdomine deprehenſa, ventriculus plus dimidia parte amplior erat et venae portae magnitudo aequabat propemodum venae cauae magnitudinem, cuius propagines varicoſae reperiebantur. p. 67.

Similem propemodum morbum offert obſeruatio ſeptima, vbi cordis palpitatio ex imprudenter ſedato fluxu haemorrhoidali et nimia cordis dextri vna cum venae cauae ſinu dilatatio deprehendebantur. Vir quadraginta annorum ex retropreſſis haemorrhoidibus alias rite periodicis, per in et externum vitrioli ſpiritus vſum, in aſthma, tuſſim, lumborum dolores, appetitus proſtrationem et cordis palpitationes incidebat, quibus ſuccubuit. p. 72.

Aqua in ambabus thoracis cauitatibus effuſa et pulmones mucoſa materia, in aqua feruenti non ſolubili, ſed fundum petente, et in igne foetidiſſima cooperti erant. Pericardium nimis amplum ſero impletum erat flaueſcente. Cor dextrum et auricula cum ſinu venae cauae duplo erant maiora. Ceterum muſculorum magna deprehendebatur flaccidiras. p. 75.

p. 82. In octaua obſeruatione narratur exemplum febris continuae putridae, in virgine cum pudendorum gangraena et ſphacelo ſuperueniente, feliciter curatae. Virgo annorum decem quatuor, paludoſas aquas ad ſanguiſugas capiendas ſaepe petens, putrida afficiebatur febre. Praeter exanthemata parotides ſuppurabantur intereaque labia pudendorum tumida atque inflammata paullo poſt nigra apparebant, ita, vt tota externa labia cum nymphis deciderent, et firma formaretur cicatrix plana ac diſtincta a perinaeo, priſtina aegrae recuperata ſanitate. Auget hoc exemplum ideo noſtram admirationem, quod Cl. Auctor ſimpliciſſimo medendi methodo vſus eſt et haec omnia ſolummodo praeſtitit vis vitae. Gravi profecto autem hoc morbo ſuperato et per duos annos floridae ſanitati reſtituta aegra, denuo morbum inflammatorium experiebatur, quo, inflammatis tenuibus inteſtinis, peribat.

p. 91. Nona obſeruatio ſpectat vteri exulcerationem cum diris conuulſionibus. Femina quinquaginta octo annorum conquerebatur de moleſtiſſimis abdominis doloribus cum tympanitide, conuulſionibus hyſtericis, fluxu puris ex pudendis, ponderis ſenſu in pelui continuo et febre, tertio et aliquoties quinto ſuperueniente die, coniunctis, et ſumme emaciata diem ſupremum obiit.

p. 94. Cum ſedem morbi in abdomine eſſe a Noſtro intelligeretur, id quoque ſolummodo in ſectione cadaueris ab eo conſiderabatur. Omentum erat exvlceratum et conſumtum. Glandulae meſaraicae et pancreas erant ſcirrhoſae et hepar mole auctum. Ambobus vero teſticulis muliebribus triplo maioribus, tactu inaequalibus, diſciſſis, omnia ouula materia glutinoſa alba, fere gypſea, repleti et tres in dextra parte hydatides inueniebantur. Vtero, naturalem magnitudinem habente, diſciſſo ſecundum eius longitudinem, circa eius ceruicem foedum vl-

cus,

cus, totam internam occupans ſuperficiem, non vero cum vagina continuum detegebatur, vere carcinomaticum maculisque gangraenoſis circumdatum.

Finem harum obſeruationum facit exemplum mulieris octogenariae, vitae neceſſitatibus deſtitutae, macilentae et imbecillae, victu exili ſeſe ſuſtentantis, quae ex ſolo virium defectu mortua videbatur. Cum eius cadauer in theatrum anatomicum deferretur ad diſquirendas ac praeparandas partes genitales, detegebant in hanc rem inquirentes in ouario dextro et in media propemodum eius parte inaequalem tumorem, externe albicantem, ſubdurum, anſerino ouo maiorem, cum folliculo tenaciori et hinc inde in cartilagineam abiente duritiem. Quo diſſecto, ille repletus erat glutinoſa materia ſeu potius vnctuoſa, granoſa, albeſcente, in aqua communi facile ſolubili, in feruente adhuc facilius, nec foetida. In huius folliculi media parte tumor ex pilis quaſi, inglomerem coactis conſpiciebatur, quem tabula tertia figura ſecunda Cl. Auctor ſiſtit. Hac re excitatus ſtudioſius Noſter, in vitam eius ante actam inquirens, expertus eſt: ſeſe debita agente aetate et iuſto corporis robore acquiſito, nuptias celebraſſe et per duodecim annorum duos tantummodo filios peperiſſe, conſtantique interea fruitam eſſe ſanitate; tum, marito mortuo, ſecunda vice eam iniiſſe matrimonium, ſine prole tamen, hyſtericas conuulſiones diriſſimas paſſam et victu prauo fuiſſe vſam; porro decem et ſeptem annis praeterlapſis et hunc maritum deceſſiſſe, ex quo tempore ſolam vixiſſe vſque ad mortem, ſaepeque morbo arthritico laboraſſe et defectu victus eſſe preſſam. p. 98.

Arbitratur Noſter, ex hoc exemplo ſatis clare patere id, quod et alii iam defenderunt, animi perturbationes et victum non conuenientem, ac inprimis farinoſum et pultaceum, huic morbo ſuppeditare poſſe occaſionem.

VII.

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar, För År 1768. Vol. XXIX. Med. Kongl. Academiens Tilstånd. Stockholm. Tryckte hos Directeuren Lars Saluius, På deſs egen koſtnad, 1768. 8. mai. Alph. I. pl. 1. tab. aen. 9.

h. e.

Acta Academ. reg. ſoc. Suecicae anni 1768. Vol. 29.

Trimeſtre primum.

1. *Hiſtoriam Tourmalini*, quam in actis 1766*) inchoauerat, continuat IO. CAR. WILKE. Gemmas, quibus vſus eſt, deſcribit, modumque experimenta inſtituendi. Cur calore excitentur in oppoſitis lapidis partibus (polos vocat, ad imitationem magnetis) electricitates oppoſitae, et illarum quaevis, dum refrigeratur lapis, in oppoſitam abeat, hypotheſi ſequenti rationem reddi aliquatenus poſſe credit. Cogitetur lapis, plenus copioſa materia electrica, quam fortiter attrahat et retineat, vnum autem latus lapidis, calore et frigore vehementius ſtatuatur affici altero, hoc eſt, vehementius extendi aut contrahi, ita in canalibus lapidis materia electrica, mox ad vnum latus magis, mox ad alterum cogetur, orieturque exceſſus aut defectus negatiuus, quod praecipuum eſt in explicandis electricitatibus contrariis ex FRANKLINI theoria. Eamdem coniecturam athmoſphaerae applicat. Huius ſtrata elaſtica, ſi a ſole diuerſis modis incaleſcant, et extendantur, electricam materiam, quam continent, mox huc, mox illuc pellent, ita electrica vis, primum in

P. 3.

P. 23.

*) v. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 583.

in ſicco aëre excitatur, eam vero attrahant nubes, donec aequilibrium reſtituatur.

2. CAR. A LINNE *deſcribit animal Braſilienſe*, p. 26. *quod in ſyſt. nat.* EIUSD. mus aguti *appellatur*. Viuum habuit, omnino ſimile iconi, quem Cl. CATESBY carol. Vol. 3. tab. 18. leporem Iauenſem appellat, niſi, quod rubri coloris non ſit. Patriam falſam Cl. CATESBY tradidit. Pedum anteriorum digiti ſunt quatuor, poſteriorum tres, hi ſine digito. MARGGRAVIUS poſterioribus ſex digitos tribuit; qui animal deſcripſit in hiſtoria naturali cum deſcriptione Gazophylacii Regis Galliae Tab. VIII. anterioribus quinque, vtrique falſo.

3. *Experimenta de piſcium coloniis lacubus medi-* p. 30. *terraneis introducendis*, edit TIBURZ TIBURTIUS. Oua foeta inſerere parum prodeſt, cum aerem non tolerent, ſuccuſſibus vecturae comminuantur, piſcibus et inſectis, in lacu iam reperiundis, in eſcam cedant. Viui autem piſces hyeme facile transuehi poſſunt, illi ergo lacui iniecti, poſt ſe multiplicant. Videndum vero eſt, quae, pro quouis piſcium genere nutriendo, in lacu reperiantur: non enim omnes piſces eadem eſca delectari, vel iis, qui arundine piſcantur, notum eſt. Ita lucius et perca intactas relinquunt hirudines, quae ideo in lacubus, vbi hi piſces habitant, inſigniter multiplicantur, vt iis in locis anates aut anſeres educari non poſſint; pullis enim, lacui innatantibus, adhaerent hirudines, illisque ſanguinem exſugunt. Sed caraſſii, rutili, bramae hirudinibus veſcuntur.

4. *In proportionem remorum*, inprimis qui in tri- p. 40. remibus adhibentur, inquirit FRID. CHAPMANN. Triremium regiorum architectus.

5. *Gem-*

p. 55. 5. *Gemmas igne examinat* BENED. ANDERSON QUIST; director et furnorum, quibus metalla liquantur, praefectus. (*Ober-Hüttenmeiſter*). Gemmas, vt phyſici ſolent, ad ſilices refert. Specimen, quomodo eas tractauerit, det adamas. Is absque additamento non fluit in igne, quem excitare poſſumus, vehementiſſimo, neque illum gradum caloris recipit, quem *weiß glühen*, vocant. In puluerem ſubtilem redactus, obſcure griſeus eſt, fere niger, eumdem colorem et poſt vſtionem retinet. Cum borace puluis adamantis mox abit in vitrum album compactum, ſimile ei, quod fit, adhibita calce ſtanni. Vlterius vero agitatum igne vehementi, fit ſemipellucidum, ad modum porcellanae. Eum effectum praebet pauxillum puluris adamantis, maiori boracis copiae admixtum. Vehementius ignitum vitrum magis pellucet, in pellucido boracis vitro ſparſae ſpectantur particulae exiguae albae opacae, quae longo et vehementi igne ipſae funduntur, et exhibent vitrum omnino pellucidum, omni colore orbum, denſum, quod eo magis fit fuſibile, pellucidum, purum, quo magis igne vrgetur. In igne vehemente videtur adamas attrahi a borace, quoniam multum puluris adamantis addi poteſt boraci, et cum eo in vitrum pellucidum fundi. Pulvis adamantis, in oleo vitrioli coctus, nihil mutatus viſus eſt, ſed omnia, quae ante diximus, phaenomena exhibet. Simili modo alias gemmas, quam plurimas examinat, quibus experimentis, quo pluris conſtant, et quo rariora ſunt, eo magis naturae ſcrutatores ſibi Noſter deuinxit. Subiicit plurimarum gemmarum grauitates ſpecificas.

p. 76. 6. *In paroeciis Lapponiae Quickjock et Iockmok*, quibus diebus ſemen frumenti terrae creditum fuerit, quibus ad meſſem maturuerit, quando, a niue liqua-

liquata, flumina intumuerint, quamprimum glacies lacus maiores obduxerit, obſeruationes annorum 1750 – 1766 edit IONAS HOLSTEN. Paſt. loc. Spiſſiori glacie lacus obducuntur, cum, ingruente gelu, parum ningit. Glacies nata, ſi mox tegatur profunda niue, tenuior manet. Vehementi frigore, accenſo igne ſub dio, prope ignem pluuia ſubtilior animaduertitur, paulo remotius ab igne, vera nix cadit, etſi ceterum non ningat. p. 82.

7. *Ad parcendum ſumtibus in focis, vbi ferrum in priſmata vel laminas elaboratur*, conſilium edit LEONH. MAGN. UGGL'A. Eo redit, vt formae, quam vocant, pars ex ferro fiat, non integra, vt hucusque factum eſt ex cupro. p. 82.

8. *Probat conſilium* SWEN RINMANN, ſi fabri idonei formae ita perficiendae adſunt. p. 84.

9. *Quae praeternaturalia in arteriis quibusdam, tordi propinquis, viderit*, enarrat ADOLPH. MURRAY. In aortae adſcendentis diſtributione haec animaduertit: I. arcus non proprie curuatura continua flectebatur, ſed magis in angulum obtuſum. II. Ex hoc arcu primum ſola naſcebatur carotis dextra, deinde carotis et ſubclauia ſiniſtra, non vero ſubclauia dextra. Carotis dextra obliquius ſuper arteriam aſperam iacebat, quam alias ſolet arteria innominata. Carotis ſiniſtra multum diſtabat ab arteria aſpera. Subclauiae ſiniſtrae ſitus erat naturalis. III. Poſtquam aorta aſcendens in deſcendentem abierat, exibat ex ea, ad quartam vertebram dorſi, ſubclauia dextra, paululum minor, quam ſolet eſſe. Arteria ſub oeſophago et aſpera arteria oblique ſuperius tendebat ad clauiculam, per ſcalenum primum itura ad brachium. Arteriae vix longitudo polli- p. 85. p. 89.

pollicis apparebat infra clauiculam, antequam muſculum tranſiret, cum alias fere quatuor pollices infra clauiculam reperiantur. Ex arteria hac rami naſcebantur non niſi ſequentes. 1) duo intercoſtales inferiores in latere ſiniſtro, prodeuntes ex arteria ſtatim, cum ex aorta exiiſſet, illi ſequebantur marginem inferiorem coſtae cuiusuis, more ſolito. 2) ceruicales, quarum vna ſaltim hic reperiebatur, quae diuidebatur in ramos duos, quorum vnus fiebat ceruicalis profunda, alter transuerſalis colli,
p. 90. transuerſalis ſcapularis prodibat ex axillari. 3) intercoſtalis ſuperior. 4) thyrioidea inferior. Vltimae duae arteriae, more conſueto, ſe diſtribuebant. IV. Arteria axillaris, poſtquam octo lineas proceſſerat, exibat ex ea mammaria interna, incuruans ſe circa coſtam primam, vt more conſueto progrederetur. V. Vertebralis exibat ex carotidis latere poſteriore, per foramen tranſuerſum quartae vertebrae colli, adſcendens ad cranium. Vſum huius obſervationis eum addit Noſter, vt cauti eſſe diſcant, qui de lethalitate vulnerum renunciant, huic enim ſubiecto vulnus ad extremitatem ſternalem clauiculae, niſi arterias offendiſſet, non adeo abſolute lethale fuiſſet, ac corpori, in quo arteriae ſunt in ſitu naturali. Brachium dextrum eius, in quo haec viſa ſunt, coniici poteſt deterius nutritum eſſe a ſanguine, quod, vt eo perueniret, longiore via opus habebat. Videbantur etiam brachium dextrum minus, et ad id pertinentes muſculi tenuiores, quam quae reſpondebant in latere ſiniſtro. Forte etiam, dum cibi deglutiebantur, ſubclauia, adhaerens oeſophago, ope tunicae celluloſae, compreſſa eſt, ſicque circulus ſanguinis turbatus.

p. 93. 10. *Experimenta de vſu electricitatis in variis morbis ſanandis* GUSTAVI FRID. HIORTBERG, M. D.

M. D. in compendio eduntur. Nuda fere nomina morborum recenſentur et qui a ſingulis his morbis ſanati ſint. In rheumatiſmis Noſter frequenter hac methodo vſus eſt. Parti adfectae, ope ſyringae, impetu quodam aquam frigidam, deinde ibidem electricitatem applicuit, vnde pars ea incaluit. Interdum et ſyringae loco, lintea madida adhibuit. Aquam hauſit ex fonte, qui in medio loci paludoſi oritur: eius loci lutum, dum manibus fricatur, paululum picis olere videtur; aquae nullus eſt ſapor aut odor, nec mutatura ſaccharo ſaturni, gallis, ſyrupo violarum. p. 95.

Trimeſtre ſecundum.

1. *Reliqua de tourmalino edit* IO. CAR. WILKE. Experimenta, nota eius ſagacitate, inſtituta ſunt et leges ſaltim operandi detectae, etſi de cauſſis parum adhuc ſciamus. Id vero doctum ſe credit experimentis, tourmalinum, calore et frigore, item tactu corporum, vim electricam adducentium aut abducentium, in eum ſtatum deduci, in quo eſt vitrum, vi electrica plenum, antequam in ſuccuſſum Muſchenbroekianum erumpat, *geladen* vocant. Hinc pleraque phaenomena explicantur. p. 97.

2. *Obſervationes de funibus maioribus, quorum in nauibus vſus eſt, faciendis* edit NIC. PSILANDERSCHIOLD, Admiralis, Eques ordinis Regii enſis. Plura hic habentur egregia, ad praxin nauticam facientia. Bitumine illitos funes, cum in futuros vſus reponuntur, citius perire illis, qui bitumine non ſunt illiti, experientia edoctus eſt, vnde ſuadet, bitumine tunc demum eos illini, cum ad vſum adhibentur. p. 120. p. 125.

3. *Argillam albam Smolandicam* deſcribit PETR. ADR. GADD, Prof. Chem. Oboenſ. Arenam ſubtiliſſimam p. 125.

liſſimam continet, cum acido vitriolico alumen praebet, ipſa vero ad alumen depurandum vtilis eſt. No-
p. 133. men ei, vtpote nondum deſcriptae, dat Noſter: argilla lactea, leptamnoſa, farinacea, ſiticuloſa, maculans.

p. 134. 4. *Obſeruationes anatomicas occaſione cadaueris grauidae* edit ROL. MARTIN, Anat. et Chir. Prof. Cadauer ſolis inquiſitionibus angiologicis deſtinabatur; iniecta vero cera, vt moris eſt, per aortam, ventrem leuiter tumere animaduerſum eſt, eoque diſſecto, vterus, quantum ex magnitudine fetus col-
p. 136. ligi poterat, menſe quinto grauidus. Illo igitur, cum iis, quae ad genitalia pertinent, exemto, inciſione in eius latus poſterius facta, vbi adhaerebat placenta, rami arteriarum in interna vteri ſuperficie, pluribus in locis, vſque ad placentam, cera repleta erant, in-
p. 137. dicio, arterias immediate inſeri vaſis placentae et circulum, inter fetum ac vterum, immediate fieri per vaſa ſanguifera, adeo aperta, vt hic ceram reciperent, non eo conſilio iniectam, vt ad ipſa penetraret, imo vi, tam moderata actam, vt nihil eius in ramificationes coeliacae veniret, quae ſupra peluim in partes, circa ventriculum ſitas, abeunt, illa vero
p. 136. vteri vaſa, in ſtatu grauiditatis, ampliora ſunt. Fetus dorſo conuexo iacebat verſus ſiniſtram, anteriore parte corporis caua verſus dextram, in cauitate ſiti erant artus et funiculus vmbilicalis; caput ad ceruicem vteri, verſus orificium. Hinc credit Noſter,
p. 139. refelli eos, qui, vltimo menſe, inuerti fetum credant, vt tunc demum caput verſus inferiora cadat. Nam et in aliis cadaueribus grauidarum et in abortu, caput inferius vidit, quod ſuadet etiam praecipuum eius pondus, quo in fluido deſcendit.

p. 140. 5. *Viuerram Naricam* deſcribit CAR. A LINNE. Nominatur ſyſt. nat. ed. XII tom. I. p. 64. n. 3. Animal

mal Americae auſtralis nemo adhuc plenius deſcripſit. Hic et icon exhibetur. Parum differt a viuerra naſua, vt vel res ad diſcrimen ſexus redire poſſit.

6. *Duas alias obſeruationes ex hiſtoria naturali* addit CAR. A LINNE. 1) Simiam oedipum deſcribit, quam viuam habuit; minima eſt generis ſui vix maior ratto. 2) Rex Sueciae Noſtro oſtendit *gordium* Medinenſem viuum, Gothenburgi repertum, craſſitudine fili craſſioris, pallidum, dimidiam vlnam longum. Mirum eſt animal in Suecia reperiri. p. 146.

7. *Problema ad geometriam pertinens* ſoluit BARO FRID. PALMQUIST, quando trianguli latus minima quantitate varietur, variato angulo oppoſito. p. 147.

8. *De piſcinis ſtruendis* Academia quaeſiuerat. Ex reſponſionibus, quas quatuor oeconomi ipſi exhibuerunt, hic excerpta eduntur, auctore KNUTBERG. p. 166.

9. *Animal filamenti ope maiori adhaerens et ita viuens*, deſcribit CAR. DE GEER. Acari ſunt minimi, fili ope inſidentes inſecto maiori, vt ſtaphylino, lepturae; itaque hoc modo nutrimentum ex illo ſugentes. Neque ſinguli immediate inſecto adhaerent, ſed vnius filum alteri inſeritur, vltimi inſecto, fili ope; ita oportet eos nutriri, vt fetus nutritur ope funiculi vmbilicalis. Relinquunt etiam filum et quaquauerſum repunt, ſed ſine terra humida non viuunt; ſpiritum vini fortem ſatis diu tolerant. p. 176.

10) *Dormientes minus calere* oſtendit ANTON ROL. MARTIN. Ex multis obſeruationibus, quibus id edoctus eſt, quasdam adfert. Calorem partium externarum thermometro applicato, exponit, vt in p. 184.

iis, quae edidit in commentariis 1766; 1767 horum
p. 185. ſpecimen dabimus: quadragenarius, poſt motum vehementem, ad ſomnum ſe componens ita calebat: manus gradibus 37; ſpatium ſub axillis 37; pectus 36; abdomen 35; flexura genu 35; planta pedis 32. Poſt ſomnum 8 horarum euigilans manus, ſpatii ſub axillis, pectoris, abdominis et genu calor, ſingulorum gradu vno decreuerat. Antequam obdormiſceret, arteriae pulſus 70 numerabantur ſexageſima prima; ſed cum euigilaſſet nonniſi 60. Dormiens ſexageſima prima 14 aut 15 vicibus reſpirauit, euigilans 20
p. 186. vicibus. Calor loci erat graduum 20. Ex his et ſimilibus conſtat, dormientium calorem minorem eſſe, reſtitui vero mox, poſtquam euigilarunt, ad priſtinam quantitatem. Haec valent ſaltim de calore exteriore, quem thermometrum indicat, vrina 36 vel 37 gradibus calet ante et poſt ſomnum, vt internus conſtans videatur. Ex quibusdam obſeruationibus, inprimis infantum, colligit, durante ſomno, calorem ex peripheria interiora verſus cogi, dum euigilamus, exteriora verſus propelli. Differunt tamen ſomnus quietus et inquietus, inter ſomnum et vigiliam me-
p. 187. dius. Infantes, dum ex ſomno inquieto euigilant, rubentibus genis, plorantes aliquot gradibus magis incaluerunt; ſed quiete dormientes refrigerari, colligitur ex pulſu et reſpiratione; pulſus, antequam obdormierant, ſexageſima fiunt 100 aut 105; dormientium triennium aut quinquennium non fiunt niſi 85 aut 90, ſed ſtatim, poſtquam euigilarunt, idem numerus pulſuum redit. Reſpirant infantes non velocius quam adulti; triennes aut quinquennes, quam tricenarii aut quadragenarii; ſcilicet in ſexageſima 15 aut 16 vicibus dormientes; 20, 22, 23 vicibus euigilantes. Vnde colligit Noſter, infantes non magis calere adultis, nam, ſanorum calorem externum non ſuperare 36 aut 37 gradus, reperit, cui reſpondere

inter-

internum, vrina docuit; tantus etiam eſt ſub axillis et ad vmbilicum adultorum, ſi motum ſuſceperint, calida biberint, calide veſtiti fuerint; quietus vero, et minus tectus veſtibus, ſupra vmbilicum gradibus 36 calens, febrim indicat, quod et in aegro, variolis laborante, Noſter obſeruauit. Ceterum alii externe magis calent, alii interne, poteſt tamen ſumma caloris vtrinque eſſe eadem.

II. *Sinenſes quomodo, vt oua excludantur, obtineant*, deſcribit CAR. GUST. EKEBERG. Sepis genus, viminibus denſis, textum conſtruitur, ei oua in corbibus induntur, tegitur ſepes, et, carbonibus extus admotis, calefit. p. 188.

Trimeſtre tertium.

I. *Inclinationes acus magneticae, in tabula ad leges earum, quas hydrographicas vocant, delineatas*, exhibet IO. CAR. WILKE. Adhibuit, praeter obſeruationes antiquiores, recentiſſimas Cl. DE LA CAILLE et EKEBERG. Hiſtoriam eorum, quae circa inclinationem acta ſunt, exponit, et cum plus ordinis, quam hucuſque creditum eſt, inclinationibus acus repererit, hanc, quae hucuſque fere neglecta iacuit, inueſtigationem commendat, vt quae plurimum faciat, non ſaltim ad naturae cognitionem, ſed ad ipſam artem nauticam. p. 194.

2. *Suas inclinationis acus magneticae obſeruationes*, edit CAR. GUSTAV. EKEBERG. p. 225.

3. *Sectionem caeſaream in femina nana peractam*, deſcribit HERM. SCHUTZER, Archiater reg. Femina 30 annorum erat aliquot iam dies vehementibus parturiendi doloribus vexata; cum eam exami- p. 229

naret Noſter, fetus anum verſus ſiniſtram, caput verſus ſpinam dextram oſſis pubis reperit, membranis ob dolores ruptis, liquores iam profluxerant, vteri orificium anguſtiſſimum erat, ſpatium inter os coccygis et os pubis adeo exiguum, vt, ſummo labore, duo digiti vix poſſent introduci, peluisque tota tam anguſta, vt per eam exire, aut educi infans nullo modo poſſet. Itaque decreta eſt ſectio caeſarea, ſuadentibus et adſiſtentibus pluribus medicis. Poſita parturiente in ſitum horizontalem, eleuatis integumentis communibus in latere ſiniſtro abdominis quatuor digitos transuerſos ab vmbilico, diſſecta illa ſunt, inciſio, ſuſpenſa manu, profundius acta, per muſculos obliquum et transuerſum item peritoneum; cum ſentiret Noſter, penetraſſe ſe in cauum abdominis, indice ſiniſtro in aperturam immiſſo, cauit, ne, illam continuando, inteſtina laederentur, illam vero ad longitudinem quarta vlnae parte maiorem produxit vſque ad digitum transuerſum ab oſſe pubis. Partem inteſtinorum prodeuntem, vnus adſtantium retinuit et operuit, tunc autem vterus apparuit, in quo aperiendo ſumma cura vſus eſt Noſter, ne, quoniam
p. 231. iam effluxerant liquores, fetus laederetur. Cum in conſpectum prodiret punctulum album, ex quo profluerent guttulae liquoris clari, intellectum eſt, penetraſſe inciſionem per omnem vteri craſſitiem. Haec igitur apertura, ipſi in abdomine fere aequalis, facta eſt, rurſus, ne quid laederetur, cauente indice ſiniſtro, apparuit fetus, ſitu ante dicto, cuius partibus labia vulneris vteri ita adhaerebant, vt vix manus ad eximendum inſerere poſſet. Puella erat, matri ſimilis, artubus curuis, praegrandi capite. Cl. ACREL funiculum vmbilicalem ligauit, quod cum fieret, primam vocem mater emiſit, de ſexu quaerens, ante, incomparabili conſtantia et patientia, ne ſonum quidem exire paſſa eſt. Exemtis ſecundinis et ſanguine coagulato,

coagulato, Cl. ACREL gaſtroraphiam fecit et, p. 232
obligato vulnere, aegra in lectum repoſita, laetum teſtata animum. Sanguinis iacturam paſſa erat non maiorem, quam ſolet contingere feliciter parientibus. Medicamenta idonea data ſunt, et diaetam vt exacte obſeruaret, ſuaſit feminae temperamenti valde ſanguinei. Bene dormiuit et nihil queſta eſt die ſequente; pulſus etiam naturalis fuit, venter paulatim intumuit, mollis tamen. Veſpere bene ſe ha- p. 233.
buit, nec non ſequente die. Vtiliter applicatum eſt clyſma ex lacte, oleo et ſaccharo. Cum eſuriret, panem toſtum iuſſa eſt immergere aquae, cuius quatuor partibus adfuſa erat pars vna vini. Venter detumuit. Nocte inter diem tertiam et quartam, cum accederet febris ſuppuratoria et lactea, idonea medicamenta propinata ſunt, meridie ſudare coepit, capitis dolores ceſſabant, pulſus vehementia decreuerat, et omnia ſpem optimam faciebant; ſed cum madere ſentiret veſtes et linteum lecti, matre auxilium praebente, alias veſtes induit, imo e lecto deſcendens et ſellae inſidens lecto aliud linteum impoſuit. Quae omnia quam parum calida fuerint, colligi poteſt ex eo, quod haec peracta ſint quadrante horae, paulo ante, quam femina adueniret, quae aegrae curam habere debebat, illorum, quae geſta eſſent, ignara. Mane ſequenti vehemens diarrhoea coepit, nullis remediis cohibenda, quae, cum diem et noctem duraſſet, aegra mortua eſt, procul dubio ea ſua culpa. Sed et pultem puro vino Rhenano immerſiſſe, imo vinum poſt ebibiſſe, femina, quae eius curam habebat, narrauit. Cum aperiretur cadauer, venter repertus eſt paulu- p. 234.
lum tumidus, exteriores vulneris margines ſicci et nigreſcentes, vulnus autem ita coalitum, vt denuo reſcindi oporteret. Inteſtina ab aëre tumentia, paululum inflammata, niſi circa vulnus, magis a diarrhoea, quam ab operatione. In cauo abdominis ne

gutta quidem ſanguinis ab operatione reſidua; vterus ita rurſus contractus, vt vix pugni exigui magnitudinem aequaret, vulnus maximam partem coalitum, margines nigreſcentes, vt in vulneribus mortuorum. Nullum indicium, operationem aliquid ad morbum contuliſſe. Infans exciſus vixit, et bene ſe habuit. Subiicit Noſter hiſtoriam eorum, quae olim de ſectione caeſarea ſcripta ſunt, et recentiora quae-
p. 244. dam exempla, maximam partem Gallica. Inter alia anno 1741 chirurgus primus in arce Gallica *Biceſtri* partum ſecuit ex femina, lue venerea infecta, vbi euentum felicem Noſter ipſe vidit, eoque magis miratus eſt, quoniam femina tophos ingentes gerebat in pedibus, vlcera venerea in collo.

p. 245. 4. *Bidens Acmelloides* deſcribitur a PETR. ION. BERGIO. Plantae ſemina Pariſiis attulit hortulanus aulicus, Kallſtröm; vbi indigena ſit, neſcitur. Paludoſam eſſe, aut ſaltim in agris humilioribus creſcentem, habitus indicat. Calorem amat, cum durauerit in domo Cl. Auctoris in camera, hyeme, 14 vel 18 grad. thermometri Suecici calente. An perennet, neſcit, cum anno, quo haec ſcripſit, floruerit. Folium recens, dentibus comminutum, ſaporem pungentem producit, fere, qualis eſt ari vetuſtioris. Ad bidentem refert, ob receptaculum paleaceum. Paleae concauae, incuruae, membranaceae, apice luteſcentes, obtuſae, floribus breuiores, ſingulos flores obuoluentes ſingulae, deciduae. Eſt itaque ipſi planta: bidens (acmelloides) foliis oppoſitis, ouatis ſerratis, caule procumbente, floribus ſolitariis: ſpilanthus (oleracea) LINN. S. N. Ed. XII. p. 534.

p. 250. 5. *Semen, autumno terrae commiſſum, perire, ſi magna copia niuis rarae tegatur ante, quam gelu in terram penetrauerit*, oſtendit experientia quadam CAROL. KNUT-

KNUTBERG, Capit. Mechanicus. Cauſſam indicat, quod radices et germina calore intra terram corrumpantur. Suadet igitur, vt nix ſuper agris comprimatur, quo terra congeletur.

6. *Tranſitum Veneris per ſolem* d. 3, 4 iul. 1769. tunc adhuc futurum ERICUS PROSPERIN, Adiunct. Math. et Phyſ. Acad. Vpſal. computat, qualis appariturus ſit, in illis Sueciae locis, vbi tunc verosimile erat aſtronomos futuros. p. 254.

7. *Arena mobilis quomodo plantis poſſit figi*, docet LAUR. MONTIN, M. D. et Med. Prouinciae Hallandiae. Hac arena regiones, mari adiacentes, ita paulatim obducuntur, vt coli amplius vix poſſint. Arundine arenaria et elymo arenario coeptum eſt illam ſeri, vt plantis his retineretur, ſed non magno cum fructu. Noſter plantarum, quas tanta frequentia in hac arena reperit, vt conuenire eis hoc terrae genus certum eſſet, numeroſum texit catalogum, frutices autem et arbores etiam ait in illa creſcere, ipſam alnum, dummodo primo, magna plantarum minorum copia, arenae ſuperficiem ceſpite firmo obduxerit. p. 265.

8. *De remediis contra luem veneream et inſufficientia ſpiritus mercurialis*, agit IO. HARTMANN, Med. D. et Prof. Oboenſ. Solutionem mercurii ſublimati in ſpiritu vini pluribus dedit, celebritate medicamenti motus, quod vni alteriue, leuiter laboranti, profuit; multi vero, cum ſanati viderentur, abſque nouo contagio, denuo in morbum inciderunt; aliis etiam nihil omnino profuit ſpiritus ille mercurialis, contra, aeque ac ab aliis mercurii praeparatis chemicis, ab hoc natum eſt malum hypochondriacum, imo pectori mala inde exorta ſunt cum vomitu vehementi, etſi p. 273. p. 274.

etſi parum ſpiritus datum fuiſſet, aqua cinnamomi aut camphora mixtum, et iuſculis ex vegetabilibus dilutum. Magis profuit vnguentum Neapolitanum, ex mercurio et pinguedine, ea cura adhibitum, ne
p. 276. ſaliuatio oriretur, niſi, quod nec huius, nec reliquorum medicamentorum ſalubris effectus fuerit apud illos, vbi indurationes in locis remotioribus, ſedem morbo praeberent. Apud hos cum fructu adhibitae ſunt Edinburgenſium pilulae aethiopicae, hac formula: Rec. merc. viu. drach. VI. vel VIII. ſapon. alb. Hiſpan. extr. guaiaci ana vnc. ſemis. Facta globulorum plena extinctione, triturando in mortario vitr. adde ſulph. antimon. aur. Edinb. vnciam dimidiam. ſyrup. comm. q. ſ. vt f. maſſ. pil. qua form. pil. gr. vnius pulu. lycop. aſp. Loco extr. ligni
p. 278. guai. vſus etiam eſt extr. turion. pini. Vnguentum mercuriale et has pilulas vtiliora reperit ſpiritu mercuriali, quo iis ſaltim in locis non omnino ſanatur
p. 280. lues venerea, nec herpes Graecorum. Pilulas vnguento praefert. Eas quidem nunquam ſolas dedit, ſed primis duabus ſeptimanis laxantia, mercurio dulci vel turpetho minerali aut pulu. PLUMM. mixta; ſed illorum effectum alium non credit, quam quod ad vſum pilularum praepararint. Igitur pilulas exiſtimat morbo venereo leuando ſufficere, etſi ſolae exhibeantur. Alio tempore expoſiturus eſt, quid faciant contra elephantiaſin, ſatis in his terris frequentem.

p. 281. 9. *Ad caſtoris hiſtoriam pertinentia* narrat. ION. HOLSTEN verb. diu. Min. in Quickiok in Lapponia. Caſtorem educauit, qui, cum primus adferre-
p. 283. tur, non niſi lac poterat ſugere. Veſcitur cortice betulae, populi, ſalicis, non vero alni, ſorbi et pruni padi; vtitur etiam herbis, quibus oues inprimis aluntur, maxime amat equiſetum, ſed et, quibus homines nutriuntur, ſumit, ipſam carnem. Terram,

ram, et quibus ad aedificandum opus habet caſtor, pedibus anterioribus amplectitur, et ita progredien- p. 284.
do, ope poſteriorum, aut natando promouet, vt nullum ſit fundamentum fabulae, caſtorem vnum a reliquis, trahae ad modum, onerari. Caſtoreum con- p. 286.
tra omnia mala externa praeſentiſſimum remedium habet earum regionum populus; magis tamen illud faciunt Noruegi, quam Sueci. In ſpiritu vini ſumtum praeſeruare credunt tempore peſtis et morborum epidemicorum. Non audent illud ſecum ferre nauigantes, credentes, cetos eius odore allici, et navigiis periculum creare. Vulnera, dentibus caſtoris p. 287.
facta, non incurabilia ſunt, vt vulgus dicit, difficilius tamen curantur, tum, quod caſtor, quae dentibus complexus eſt, omnia auferat, tum, quod ex ore eius calor vehemens exeat.

Trimeſtre quartum.

1. *Ea, quae ad nauigationem pertinent, quae* p. 289.
felicius, quae minus feliciter Sueciae cedant, quam aliis regionibus, examinat IO. WESTERMANN.

2. *Adnotat quaedam occaſione huius ſcripti.* p. 318.
FRID. CHAPMANN.

3. *Idem facit* IO. CLASON. p. 321.

4. *De montibus Weſtgothicis* obſeruationes edit p. 324.
TORB. BERGMANN; inprimis de ſtratorum, quibus conſtant, materiis, ſitu, conditionibus.

5. *Litorella iuncea, nouum genus* conditur a p. 337.
PETR. ION. BERGIO. Planta, Sueciae indigena, ea eſt, quam accurate ſatis deſcripſit et pinxit BERNH. DE JUSSIEU, *Memoires de l' Academie*

mie des ſciences 1742. p. 131, relicto ei plantagi-
p. 339. nis nomine, a quo tamen genere differt, quod flo-
res habeat non hermaphroditos, vt plantago, ſed ad
p. 341. LINNAEI monoecias tetrandrias pertineat. A lo-
co igitur, quo creſcere ſolet, *litorellam* appellat, no-
vum genus, cuius hi ſunt characteres: Maſculi flo-
res pedunculati. *Calyx* perianthemum campanula-
tum tetraphyllum. *Corolla* monopetala infundi-
buliformis, limbo quadrifido erecto. *Stamen* fila-
mentorum quatuor longiſſimorum receptaculo in-
ſerta. *Antherae* cordatae. Feminini flores in axil-
lis foliorum ſeſſiles, cum pedunculo maſculi adgre-
gati. *Calyx* nullus, niſi ſquamas ſumas; *corolla*
monopetala conica, ore minutiſſimo obſolete tri-
dentato; perſiſtens. *Piſtillum*, *germen* ſuperum,
oblongum. *Stylus* longiſſimus. *Stigma* acutum.
Pericardium, fructus corolla tectus. *Semen* nux vni-
locularis. Species vnica eſt *litorella iuncea*. Eſt plan-
tago (vniflora) ſcapo vnifloro. LINNAEI ſpecies
plantarum 167.

p. 344. 6. *Morbum equorum*, *cui nomen ſcrophula farci-
men* (gallice farcin) deſcribit P. HEERENQUIST,
ex iis, quae in ſchola veterinaria Lugdunenſi didi-
cit. Morbus eſt chronicus, externus, contagioſus,
in eo primum magnae indurationes apparent ſub
cute, circa venas, in regionibus interioribus pe-
dum, nulla tamen cutis parte excepta. Tarde ma-
tureſcentes abeunt in pus acre, vnde naſcuntur vl-
cera, humore fetente plena, cancrum referentia,
ſequitur phthiſis et tandem mors. Cauſſae ſunt:
ſtabulum, in quo aër impurus, fetens quieſcit, tran-
ſpiratio poſt motum vehementem ſuppreſſa, pabu-
lum pingue ex frugibus, recenter ex agro collatis,
praebitum ſtatim, cum animal adhuc ſudat poſt mo-
tum vehementem. In libris additur, acrimonia,
aciditas,

aciditas, ſalſedo ſanguinis. Noſter, quomodo hoc morbo vehementiſſime afflictum mulum ſanauerit, prolixe narrat. Vſus vero eſt diaeta, quae ſanguinem puriorem redderet, euacuantibus, vlcera ſecuit, et ferro candente vſſit. p. 345.

7. *Piſcem Guaperua* deſcribit GUST. FRID. HIORTBERG. Iudice LINNAEO eſt Lophius hiſtrio (Syſtema naturae p. 403.) ante deſcriptus et pictus, ſed ex exemplaribus ſiccis, aut in ſpiritu vini ſeruatis. Noſter vtrumque exactius praeſtat, cum piſcem viuum ceperit, in planta marina Sargazo, in qua habitat. p. 350.

8. *Praeſtantiſſimos effectus medicamenti mercurialis, quod Calomel appellant*, enarrat NIC. GISLER, M. D. Log. et Phyſ. Lect. in Gymnaſio Hernoſando. Calomel ipſum ita praeparat GEORGII, noſocomii Holmienſis pharmacopaeus: mercurii, deſtillatione ſatis depurati, vncias nouendecim cum vnciis viginti quatuor mercurii ſublimati triturat, donec diſpareant omnes globuli mercuriales, mixtura aequabili, et moderato igne digeritur, vt eo melius cedat ſublimatio, quae plerumque per horas ſex durat. Poſt quam adſcendit calomel, vas adhuc in illo gradu caloris, quem habebat ab igne vltimo, relinquitur hora dimidia, deinde paulatim frigeſcit. Quod in fundo reſiduum eſt, abiicitur, firmum vero calomel, ab adhaerente puluere et mercurio depuratur. Id medicamentum plerumque Cl. Auctor in pilulis praebuit, hac forma: Rec. calomel opt. drachm. tres. camph. croci ana drachm. vn. theriac. androm. vnc. ſem. M. f. pil. gr. duor. pondere. Adhibuit autem illud cum fructu in fiſtulis, inprimis a pleureſia natis, vel apud puellas 6, 9. annorum. Indurationes eius ope emollitae ſunt, et in vlcera abierunt. p. 353.

In

p. 359. In maniacis ſanandis et paralyticis ſumma eius vis
p. 364. eſt. Infantes, niſi cachectici ſint, aut cacochymici pilulis praeparat, quarum haec eſt formula: Rec. extr. aloes. panchym. CROLLII ana drachm. vn. res. ialapp. croc. angl. ana drachm. ſem. calomel ſcrup. vn. camph. gr. XV. M. f. pil. ad gr. duo. Harum tot praebet, quot annorum eſt infans, vſque ad 10 aut 12, doſin adultorum. Cachecticos decocto praeparat. Medicamentum apud plerosque operatur leni ſudore, et aucta perſpiratione, apud alios ſaliuatione, apud alios vrina. Delicatiores et iuniores alternis vicibus ſudores habent et deiectiones. Perſpiratio igitur diaeta etiam ſuſtentanda eſt. Multis nihil incommodi in collo ſentitur; quibus vero
p. 366. id contingit, illi gargarismate vtuntur. Doſis pilularum calomel die quauis tertia, quarta aut quinta, vnica pilula augetur, non vltra ſeptem pilulas aſcenditur. Cum debilitari ſe ſentit aeger, aliquot diebus nonniſi 2 aut 3 dentur. Infantibus, ſi duabus aut tribus deiectiones 2 aut 3 habeant, praebentur vtilius vna aut duae effectu, ſudore ſe tunc oſtendente, quod magis optatur. Qui paralyſi diuturna infe-
p. 367. ſtantur, ſimul ptiſana vtuntur: item qui diu conuulſionibus laborarunt, qui opus habent diuturno calomel vſu. Cum maxime procedit reſolutio et commotio materiae peccantis, male olet ſudor, poſt hanc criſin 5 aut 6 pilulae vix edunt effectum adeo ſenſibilem, vt 2 aut 3 initio. Si pertinacior morbus cedere renuat pilulis calomeli, aliae fiant ex aequis partibus calomel et mercurii dulcis, quarum duae ſub initium praebeantur. Profuit etiam medi-
p. 368. camentum in morbis oculorum, ipſa cataracta; auribus exulceratis, tonſillarum vlceribus; rhachitide, ſtrumis colli, morbo hypochondriaco, mictu cruen-
p. 369. to. Ruſtico vrina, per fiſtulas duas in hypochondriis exibat, vſu calomel duodecim dierum rediit vrina

vrina in viam naturalem, et fiſtulae ſeptimana tertia ſanatae ſunt et occluſae. Similia expertae ſunt feminae, quibus poſt partum vrina continuo ſtillauit. Cariem oſſium non ſuſtulit medicamentum, ſanando vlcera effecit, vt facile tolli poſſet os carioſum. Iunioribus facile medicamentum Noſter praebuit, circumſpectior fuit in ſenioribus, an forte cachectici eſſent; habet tamen exempla ſanatorum vlcerum in femina 65 annorum, ruſtico 70 fere annorum. Quo medicamento vterentur, aegri ipſi plerumque neſcierunt, nihil tamen in vſu conqueſti ſunt, ſi praecepta medici ſatis obſeruarunt. Infantes duo rhachitici annorum 5 et 9, dorſo colloque curuis, coſtis interiora verſus contractis, vt et humero, vſu calomel, rectiores facti ſunt, vt, emollitis oſſibus, quae deformata erant, vincula et thoraces cum fructu poſſent applicari. p. 371. p. 372.

9. *Quaedam de formica fuſca* LINN. Fauna Suec. n. 1722. obſeruat FRID. GERDES. Cum harum formicarum oua, pabulum auibus, quas nutriebat, quaereret, quaedam aliter vidit, ac narrantur a LINNAEO Comm. Ac. Su. 1741. Ita formicas in colliculis argillae reperit, et oua ad boream; ſed quadam die vidit oua ad auſtrale latus translata, incidit poſt vehemens pluuia cum vento boreali, et illam praeſenſiſſe formicas, indicio erat, quod poſtea, quam ceſſaſſet, oua rurſus ad boreale latus detulerint. Alio tempore oua reperit ad latus occidentale, profundius demerſa; venit cum vento orientali pluuia, durans dies quatuor, quae ouis fuiſſet nocitura, niſi profundius in terra fuiſſent ſita. Eam curam ouorum conſtanter vidit vſque ad initium ſeptembris, vbi, ob tempus frigidius, oua perpetuo ad auſtrum reliquerunt; ſed ſub finem ſeptembris paucula oua ſuperſunt. Quid faciant, cum alia dies hoc vento, p. 373. p. 374.

alia

alia pluuia ingruit, expiſcari non potuit. Poſt plurium dierum pluuiam, oua nec in vllo laterum cumuli, nec in medio reperit. Suſpicatur ergo deferri ad loca profundiora. Ita vero formicis, tempeſtatis praenunciis, plus vno anno vſus eſt. Examina formicarum exire, quod ſuſpicatus erat LINNAEUS, Noſter non credit, cum alias ita creſcere ciuitates formicarum non poſſent, nam vnam, tribus annis, ad duplum fere excreuiſſe reperit.

VIII.

IOHANN FRIEDRICH ZÜCKERTS, *der Arzney-Gelahrheit Doctors, der Römiſchkayſerlichen Akademie der Naturforſcher, und der Churmayntziſchen Akademie nützlicher Wiſſenſchaften Mitglieds, ſyſtematiſche Beſchreibung aller Geſund-Brunnen und Bäder Deutſchlands. Berlin und Leipzig, in der Rüdigeriſchen Buchhandlung.* 1768. 4. *mai. pl.* 19.

i. e.

IO. FRIDERIC. ZÜCKERT, M. D. deſcriptio ſyſtematica omnium fontium medicatorum et thermarum Germaniae.

Cl. ZÜCKERT boni publici et medicorum praeſertim commodo nihil melius facere potuiſſet, quam quod ſyſtematicam, qua adhuc caruimus, delineationem omnium fontium medicatorum Germaniae elaborauerit, et cum republica communicauerit literaria. Medicos enim, hac elaboratione, aptos reddidit, vt non ſolum melius de huius vel illius fontis medicati natura, proprietate, viribus ac effectibus iudicare, ſed etiam facilius nunc definire poſſent, quem prae ceteris ſuo aegroto commenda-

re

re aut diſſuadere ex tam multis deberent fontem. Opuſculum in *duas* diuidit partes. *Prima pars* continet generalem pertractationem fontium medicatorum, tam frigidorum, quam calidorum: et in *duo* denuo diuiſa eſt *capita*, quorum *primum* de partibus agit fontium medicatorum conſtitutiuis. Quum Cl. Auctor generalia tantum, et quae ex aliis aquarum mineralium ſcriptoribus excerpſit, exhibeat, ea praeſertim, ex his collegit, quae omnibus fontibus communia, et quae huic vel illi tantum propria eſſent. Hac ratione recenſet modum, quo thermae fiant, quo acidulae oriantur, quo perennes ſint, cuius generis ſit vitriolum, quod in acidulis reperitur: refert porro, quid mineralium aquarum ſit ſpiritus, eumque a principio elaſtico aethereo diſtinguit, concedit tamen, quod ambo intime mixta ſint. p. 5. Enarrat omnes eas diuerſas ſpecies terrarum ac ſalium, quae in aquis mineralibus inueniuntur, qua occaſione ſimul ſulphuris meminit, quod eis interdum ineſt: quamuis et dentur fontes, medicati dicti, qui nihil, praeter paucam terram leuem, contineant. p. 23.

In inquirendis partibus conſtitutiuis ad ſex inprimis circumſtantias, ſecundum Cl. Auctorem, reſpici debet aquarum mineralium examinator. 1. Quomodo adiacens comparata ſit terra, et quaenam mineralia in ea contineantur? 2. Quam habeant rationem aquae minerales reſpectu limpiditatis et levitatis prope fontem, et quam alibi? 3. Qualem ineant mutationem tum, cum diuerſis corporibus chemicis, quae reagentia vocant, miſcentur? 4. Quem edant odorem et ſaporem ad fontem? 5. Quid aquae eliminent in earum ſuperficie prope fontem ipſum, eiusque canalibus: quid ad fundum vaſis deiiciant, quando loco quieto reponantur? 6. Quas partes fixas poſt coctionem et deſtillationem relinquant? His praemiſſis omnes fontes medicatos et thermas Germaniae in claſſes ordinat. p. 37. p. 42.

Prima

p. 42. Prima classis. Huc pertinent
Aquae Saponaceae, vt
Aquae Plombieres, in Lotharingia
Schlangenbadenses, in comitatu inferiori Catimelibocensi.
Mochinenses in Bauaria.

Secunda classis
Aquae Natrosae, seu amarae
1. Simplices
Aquae Sedlizenses, Seydschüzenses] in Bohemia.
2. Compositae ex natro, alioque sale medio
Aquae Hornhausenses, in Principatu Halberstadiensi
Rasseburgenses, in Ductu Vinariensi.

Tertia classis
Aquae Alcalinae
I. Simplices
1. Bertligenses thermae in Episcopatu Treuirensi
2. Burgbernheimenses aquae in Marchionatu Onaldino
3. Dietzenbachenses in Bauaria
4. Elsterenses acidulae in Variscia
5. Emsenses thermae in Wetterauia
6. Fachinenses aquae in Principatu Nassouiensi
7. Gresbachenses in Sueuia
8. Heilsbronnenses in Marchionatu Onaldino
9. Hirschbergenses thermae in Silesia
10. Kenzenses, in Pomerania
11. Wildungenses in Principatu Waldeccensi.

Ad

Ad has etiam pertinent' thermae Bollenſes, (Boller-bad) in Ducatu Würtembergico: Bilinenſes, Coſtenenſes, Turnizenſes et Cummernenſes in Bohemia: Werſingaurenſes in Sileſia: Leitzkauenſes in Marchia media, et Bielfeldinae in Weſtphalia, quas autem Cl. Auctor ſpecialiter non pertractauit.

II. Compoſitae.

1. Bilinenſes acidulae
2. Buchenſes
3. Carolinae thermae

} in Bohemia.

4. Doennſteinenſes in Epiſcopatu Colonienſi
5. Montis Pyrmontani acidulae in Principatu Waldeccenſi
6. Aquae Selteranae in Epiſcopatu Trevirenſi
7. Teplizenſes thermae in Bohemia.

Quarta claſſis

Aquae muriaticae.

1. Badenſes thermae in Marchionatu Badenſi
2. Canſtattenſes in Ducatu Würtembergico
3. Heilbronnenſes in Bauaria
4. Aquae, quae a ceruis nomen habent in Ducatu Würtembergico
5. Keſtenholzenſes thermae, in Alſatia ſuperiore
6. Niederbronnenſes aquae in Alſatia
7. Wisbadanae thermae in Principatu Naſſouienſi
8. Ferinae thermae
9. Zellenſes thermae

} in Ducatu Würtembergico.

Quinta claſſis

Aquae ſulphureae.

1. Aquisgranenſes thermae

2. Ferinae thermae in Bauaria inferiore
3. Altenburgicae thermae prope Viennam
4. Badenſis thermae in Auſtria
5. Bahlingenſes aquae in Ducatu Würtembergico
6. Landeckenſes thermae in Sileſia
7. Pyrenwarthenſes thermae prope Viennam
8. Reutlingenſes aquae in Ducatu Würtembergico
9. Sulzenſes aquae in Bauaria ſuperiore
10. Zayſenhauſenſes in Ducatu Würtembergico.

Sexta claſſis

Aquae martiales

I. Simplices

1. Freyenwaldenſes in Marchia media
2. Lauchſtadenſes in Epiſcopatu Martiburgenſi
3. Lignizenſes in Sileſia
4. Polzinenſes in Pomerania vlteriore
5. Ronneburgenſes in Ducatu Altenburgenſi.

Huc quoque pertinent aquae Bebrenſes in Thuringia: Bechinenſes in Bohemia: Buckenhoefenſes prope Erlangam: Danckelsriedenſes in Sueuia: Dinkhollenſes vel Braubachenſes in Ducatu Haſſo-Darmſtadienſi: Francofurthenſes ad Viadrum: Halenſes ad Salam: Harroueranae: Hanouienſes: Koeſenenſes ad Salam: Radebergenſes in Miſnia: Reibottgrünenſes in Variſcia: Weiſſenburgenſes in Franconia: et Wittembergenſes in Saxonia.

II. Compoſitae ſalino-martiales

a. Salino-alcalinae martiales

1. Veteraquenſes acidulae in Sileſia
2. Berolinenſes in Marchia media

3. Berſta-

3. Berſtadenſes in Wetterauia
4. Gieshübelienſes in Saxonia
5. Birckenfeldenſes in Palatinatu inferiore
6. Birresbornenſes in Epiſcopatu Trevirenſi
7. Bockledenſes in Epiſcopatu Herbipolenſi
8. Calbenſes in Wetterauia
9. Deinacenſes in Ducatu Würtembergico
10. Iaſſernenſes in Miſnia
11. Goeppingenſes in Ducatu Würtembergico
12. Grundhoefenſes in Ducatu Saxo-Meinungenſi
13. Helmſtadienſes in Ducatu Brunſuico-Guelferbytano
14. Ibenhauſenſes prope Goeppingen in Sueuia
15. Gradlizenſes, vulgo Kukusbad in Bohemia
16. Kiſſingenſes in Epiſcopatu Herbipolenſi
17. Liebenſteinenſes acidulae in Comitatu Hennebergico
18. Marienbergenſes in Hannonia
19. Nieder Wierenſes in Saxonia
20. Oelberenſes in Ducatu Brunſuicenſi
21. Rippolzawerenſes in Ducatu Würtembergico
22. Ruhlenſes in Ducatu Iſenacenſi
23. Stadthagenſes in Comitatu Schaumburgico
24. Schwalbacenſes in Comitatu inferiore Catimelibocenſi

25. Schwalheimenſes in Wetterauia
26. Schwelmenſes in Comitatu Marchico
27. Sichersreuthenſes in Marchionatu Baruthino
28. Sckaffinenſes in Sileſia inferiore
29. Spadanae in Epiſcopatu Leodenſi
30. Fannhauſenſes prope Schweidnitzium in Sileſia
31. Eppachenſes inferiores in Comitatu Hohelohe
32. Wolkenſteinenſes in Saxonia

b. Salino-martiales

1. Cleuenſes in Weſtphalia
2. Driburgenſes in Epiſcopatu Paderbornenſi
3. Egranae in Bohemia
4. Hofgeismarenſes in Haſſia
5. Pyrmontanae
6. Quedlinburgenſes.

p. 48. Sequitur *ſecundum caput*, quod de virtutibus, vſu et abuſu acidularum et thermarum agit. Colligit Cl. Auctor in hoc capite cauſſas, a quibus virtutes fontium medicatorum pendent: ſimulque oſtendit, rectum vſum plurimum conferre ad bonum obtinendum ab illis virtutibus fructum. Cum his
p. 87. coniungit in *tertio capite* diaetam, quam aegri, qui aquis medicatis vtuntur, neceſſario obſeruare debent.

p. 101. Tranſit Cl. Auctor ad *partem ſecundam*, quae ſpecialem pertractationem eorum fontium medicatorum continet, quos in praecedenti tabula ſyſtematica recenſuit. In dicto ordine omnes proſequitur, indicando primum regionem et locum, quo proſiliunt, Auctores dein nominando, qui de iis ſcripſerunt, eosque examinarunt et denique ex melioribus

bus et recentiſſimis perfectam et completam exhibendo epitomen, ex qua medicus ſufficientem ſibi comparare poteſt notitiam aquae mineralis, quam vel noſſe tantum, vel ſuis aegrotis commendare vult. Medici igitur Cl. Auctori pro ſuſcepto labore multas gratias habebunt.

IX.

Saggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte di NATAL. GIUSEPPE PALLUCCI, Dottore di medicina e chirurgia, chirurgo delle LL. MM. II. e RR. Aggregato-corriſpondente delle reali accademie delle ſcienze e di chirurgia di Parigi, membro delle accademie di Parigi, membro delle accademie di bottanica, e de georgofili di Firenze. In Firenze 1768. nella ſtamperia Bonducciana. 8. mai. pll. $14\frac{1}{2}$.

Continuazione del ſaggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte cet. con indice vniverſale in fine; e varie figure inciſe in rame. In Firenze 1770. Nella ſtamperia di S. A. R. per Gaet. Cambiagi. 8. mai. pll. 9. c. tab. aen. 3.

i. e.

NATALIS IOSEPHI PALLUCCI tentamen nouarum obſeruationum et inuentorum.

EIUSDEM continuatio tentaminis huius cum indice vniuerſali et variis figuris aere expreſſis.

In priore libro caput primum de ſpina ventoſa in genere agit et in principio exempla eiuſdem, cum ex aliorum, tum ex ipſius Cl. Auctoris obſer-

p. 23. vationibus recenſet. Vidit ille ab hoc morbo nunc functiones animales laeſas, nunc mydriaſin a compreſſis neruis opticis, nunc laeſiones actionum vitalium ob horrendam thoracis deformitatem, nunc actionum naturalium ob vitium oſſium palati, cartilaginis xiphoidis, oſſis ſacri cet. In eius deſcriptio-
p. 26. ne, ratione ortus et incrementi ſucceſſiui, tria ſtadia conſtituit; primo tumores oriuntur plus minus duri, plerumque elaſtici, indolentes, cutis colore nondum mutato; poſtmodum haec rubeſcere incipit cum dolore, ac ſi acu puncta eſſet; tandem exulceratur, effluit materia plus minusue diluta, coloris varii, plerumque tamen nigricantis, foetidiſſima: vlcus perpetuo vlterius ſerpit, ſuperficiem, cancro ſimilem, referens; deſtruitur contextus celluloſus, ac denique os ipſum carie corrumpitur et plerum-
p. 27. que nigricat. Sedes mali frequentiſſima eſt in articulationibus, potiſſimum extremitatum, vbi, niſi tempeſtiue occurratur, celerrime, quaecumque tangit, corrumpit. Nomen *ſpinae ventoſae* ab inflam-
p. 29. matione in genere, ab Arabibus ſpina dicta, et ab aere deriuatur, cuius concurſui Auctor Noſter multum omnino, vt in aliis, ita et in hoc morbo generando tribuit, eum nimirum in corpore animali non prorſus priuari elaſticitate ſua et ab eius actione reſolui humores ſubtiliſſimos, vt vaporis inſtar in oſſa ipſa penetrent, eaque inflare ac denique rupturam partium efficere, aſſerens. Acrimonia haec
p. 36. indolis alkalinae eſt et aeque ac vrina vlceribus in-
p. 37. ternis corrupta cum acidis efferueſcit. Morbum hunc plerumque haereditarium eſſe, cum SEVERINO adfirmat et copioſe exiſtentiam morborum haereditariorum argumentis euincit. Cariem, ex
p. 42. cauſſa interna natam, ſemper antecedit intumeſcentia oſſis; non autem vice verſa hanc caries ſemper ſequitur. Errant igitur, qui cariem vel ab intumeſcen-

mescentia vel excauatione ossis oriri putant. Di- p. 44.
stinctio tamen admitti debet inter cariem et corruptionem seu putredinem ossis; illa enim sistit tantum frequentissima foramina in osse; haec vero parietes horum foraminum destructos et in putrilaginem resolutos. Clarior fit differentia exemplis ossium carioforum, in quae humor gelatinosus effusus est, post ea concretus et cartilagineam consistentiam adeptus. Insignis est affinitas morbi nostri p. 45.
cum rhachitide et humores rhachitici, inflammati et exulcerati, semper ad spinam ventosam referri debent.

Caput secundum de curatione spinae ventosae exponit. Remedium scopo indicato, vt nimirum p. 49.
miasma in loco affecto stagnans vincatur et removeatur, satisfaciens, Cl. Auctor inuenit *vnguentum helcoticum* a se dictum, cuius praeparationem alio tempore se communicaturum pollicetur et hoc loco tantum monet, illud sistere vnguentum coloris albi, ex variis ingredientibus, iisque, pro ratione circumstantiarum, variandis, confectum, sine tamen addita pinguedine quacumque; hoc vel per se, vel in hac illaue aqua destillata solutum, applicari potest et ad alios etiam morbos complures, vti postea videbimus, conducit. Eo maiori pretio habendum est, quo minus hucusque genuinum remedium ad rebellem hunc morbum vincendum innotuit; neque enim amputatio ipsa limites malo ponere potuit, p. 54.
neque efficaciissima ceteroquin medicamenta eidem suffecerunt. Quo autem dictis fides concilietur, enarrat curationem, huius remedii ope in puero se- p. 57
ptem annorum factam, qui in deploratissimo statu fuerat, in qua, digressione facta, monet, ne tumores p. 65
in hoc morbo aperiantur, quod iam superius inculcauerat. In genere putat, nullum tumorem a malignitate interna ortum aperiri, sed suo remedio tractari debere, quod materiam ex profundis sedibus

euocatam et rite concoctam, deſcriptione facta, optime eliminet. Aegri huius frater, maior natu, con-
p. 71. tractura et atrophia brachii ſiniſtri laborauit, frictionibus oleoſis ferme incurabili reddita; idem tamen ope remedii huius curatus fuit, adhibitis antea balneis emollientibus, frictionibus et ſuffimigiis ex ſuc-
p. 75. cino. His exemplis enarratis, pergit Auctor in demonſtranda et explicanda remedii vtilitate et vlterius rationem eo vtendi, cautiones, regimenque internum exponit. Conducunt ſerum lactis, decocta depurantia cet. ſed proſpiciendum ſimul, ne his vi-
p. 78. res digeſtionis nimis deiiciantur. Si purgandum eſt, praeſcribit bolum ex aequalibus partibus aloes,
p. 80. rhei et ſalis Anglici vel ſimilis. Sub finem huius capitis verbotenus inſertum eſt teſtimonium de reſtitutione aegrorum prius memoratorum.

p. 83. Sequuntur obſeruationes ſuper malo venereo, cuius veſtigia quaedam iam in ARETAEO, PAULO AEGINETA et CELSO inueniſſe ſibi videtur Noſter. Vti ſcabies, lepra, elephantiaſis cet. inter ſe multa communia habent, ſic etiam hi ipſi cum
p. 118. lue venerea; et ſcabioſum virum feminam ſanam morbo, venereo ſimillimo, afficere poſſe, ex obſervatione propria didicit Cl. Auctor. Ex cancro et-
p. 121. iam mammae femina cum marito acrimoniam tantam communicauit, vt vlcera in glande penis efficerentur; et femina viri, herpete affecti, lintea lauando, fluxum vehementem ex vtero ſibi contraxit et idem malum cum marito ſuo communicauit. His omnibus vtitur Noſter ad demonſtrandam antiquitatem morbi venerei, ad cuius poſtmodum deſcriptionem et curationis modos progreditur, quibus
p. 130. tamen recenſendis nunc ſuperſedebimus. Veſiculae ſeminales nonnumquam rumpuntur et abſceſſus formant, ex tenſione tantum et dolore in perinaeo cum ſtranguria et ſymptomatibus febrilibus cognoſcen-

ſcendos; ex quibus facile tranſitus ſit ad fiſtulas ani. Morbi iſtius exemplum affert Noſter, quem adſtante Cl. PLENCITZ, inciſione facta, feliciter profligavit. Ad curationem morbi venerei commendat pilulas, ex aequalibus partibus mercurii viui puriſſimi, ſaponis alicantici et micae panis albi formatas, quae ingredientia in mortario lapideo, adſperſa interdum guttula aquae vel ſyrupi capilli Veneris, ita commiſcenda ſunt, vt mercurius prorſus diſpareat, poſtmodum in pilulas tres vel quatuor granorum formanda. Doſis pro adulto eſt pilula vna bis vel quater de die; aſſerit, aegros, pro re nata, ſucceſſiue ad centum vſque pilulas deglutire poſſe, neque tamen inde ſaliuationem moueri, niſi mercurius iam in corpore praeexſtiterit. Saponem alicanticum praecellit is, qui a Cl. DE SAUBOIN ex oleo lentiſci conficitur. Noua methodus, mercurio ſub forma clyſmatum vtendi *), Auctori Noſtro neque multum arridere, neque ſanae phyſiologiae conformis eſſe videtur. Externe vnguento ſuo ſub varia, pro rei conditione, forma vtitur. In priapiſmo vehementiſſimo pilulae de cicuta commendantur, paucis ab initio per diem granis, poſtmodum per vices ad decem vel duodecim ſumendae, et crebrius, interpoſito purgante ex aloe, rheo et nitro. Hoc etiam remedio ſe in ipſarum febrium decurſu cum ſucceſſu vti, monet Auctor. In priapiſmo et ſtranguria hirudinibus laudes debentur; incidantur etiam venae in propinquitate penis, ſanguine turgidae. Bubones fomentis et gonorrhoeas aeque ac fluorem album iniectionibus cum vnguento ſuo paratis ſanat, adiuncto interno vſu decoctorum ex cortice Peruuiano, ſaſſaparillae, chinae radice cet. Tubercula intus ad proſtatam et veſicam poſita, quae vrinae profluuium impediunt et interdum calculum men-

p. 143.

p. 148.

p. 151.

p. 165.

p. 168.

*) Vid. Commentar. horum Vol. XVI. Part. III. p. 460.

tiuntur, cereolis, vnguento ſuo illitis, tractanda iu-
p. 172. bet et, adiecto curationis exemplo, aſſertum ſuum confirmat. Poſtmodum de vſu eiusdem vnguenti in variis aliis affectibus tam venereis, quam aliis diſputat, nempe in ophthalmiis, ozaena, gummatibus, doloribus rheumaticis et arthriticis, odontalgia, ambuſtionibus, paronychia, vlceribus ſcorbu-
p. 199. ticis in ore, affectibus ſcabioſis et his analogis, ſcirrho porro et cancro, vbi, etſi non ſemper morbum ſuſtulit, tamen miro modo leniuit; in tumoribus et abſceſſibus, vulneribus contuſis, gangraena, vlceribus malignis, carbunculis, vitiis auditus cet. quae fuſe exponuntur, inſperſis nonnumquam morborum hiſtoriis declarantur, et teſtimoniis allatis firmantur.

In continuatione, ſeu parte ſecunda obſeruationum primo recenſentur exempla quaedam curationum ſcirrhi mammarum, cuius morbi memorabilis caſus in mamma vtraque fere in cancrum iam mu-
p. 4. tata Tab. I. depingitur. Ab vſu vnguenti incepit tumor moueri, malum auctum fuit carbunculis orientibus, iisque ruptis et faniem foetidiſſimam effundentibus, ſuperueniente etiam carne luxuriante; continuatus vero remedii vſus omnia haec incommoda vicit. Cl. Auctor vidit, aliquando cutem inflammatam in mamma ſcirrhoſa adeo ſenſibilem fu-
p. 16. iſſe, vt vnguentum ferre nequiret; quare pannum ſubtiliſſimum, ex lacte tepido vel aqua roſarum expreſſum, inter cutim et medicamentum interpoſuit.
p. 18. Digreſſione facta, enarrat curationem vlcerum duorum cacoethicorum, materia rheumatica vel arthritica ſimul totum corpus occupante, eoque ideo fe-
p. 21. re iam ad extremum perducto. Poſtmodum ad caſum, quem Tab. II. ſiſtit, vbi in femina, poſt amputationem mammae dextrae, cancer recruduerat cum diriſſi-

diriſſimis ſymptomatibus, et iam etiam in ſiniſtra ſcirrhus formatus haerebat. Curatio in mamma dextra aeque felix fuit, ac caſus prius deſcripti; in ſiniſtra, cum euulgaretur liber, nondum finita, quamquam optimam ſpem felicis euentus praebebat. Concedit tamen Auctor, vires remedii ſui determinatas eſſe, nec vbique morbo, iam profundiſſi- p. 23.
mis radicibus infixo, ſufficere, quod exemplo cancri linguae probat, cui curando impar fuit. Has nar- p. 34.
rationes excipiunt animaduerſiones de morbis mammarum, eorum ortu et cauſſis et de ratione, qua remedium, ſaepius laudatum, iis medeatur. Diſpu- p. 38.
tat de abuſu poſcae ſeu oxycrati, cum lac in mammis ſtagnat, quo eae ſaepe indurantur; fotu e con- p. 41.
trario aquae calidae nimis emolliuntur et ad ſuppurationem diſponuntur. Et ſi inepta horum medicamentorum applicatione acuta quoque mala euitantur, tamen inde ſubſequuntur chronica, ſcirrhi nempe cum triſtiſſimis ſequelis. Recenſetur poſtmodum morbus aegrae, quem Tab. III. ante ocu- p. 52.
los ponit, qui vero ob varias cauſſas vehementiores non ceſſit, ſed cum Cl. Auctor eius deſcriptionem publici iuris faceret, indies ingraueſcebat. Tum communicat hiſtoriam morbi ex nouis litterariis Florentinis, ab aegro ipſo conſcriptam, qui fuit p. 68.
tumor inſignis rheumaticus, a genu vſque ad vertebras lumbares extenſus et inunctionibus mercurialibus peior redditus, ab Auctore autem Noſtro feliciſſime curatus, qua occaſione comparationem inter hunc aegrum et eum, de quo ſuperius egerat, inſtituit. Sequitur nunc breuior recenſio co- p. 81.
pioſiorum aliarum curationum, remedio hoc externe adhibito, praeſtitarum, quae loco commentarii veluti inſeruit tractationis de virtutibus eiusdem in prima parte recenſitae; et ſic finis imponitur volumini primo harum obſeruationum, quarum contiRua-

nuationis ſpem nobis facit Cl. Auctor, promittens, iisdem chirurgiam medicam nouam formam et perfectionem eſſe adepturam.

X.

D. IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFERI icones inſectorum circa Ratisbonam indigenorum, coloribus naturam referentibus expreſſae. Vol. I. et II.

et

D. IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERS *natürlich ausgemahlte Abbildungen Regensburgiſcher Inſecten. Regensburg, gedruckt bey Heinrich Gottfried Zunckel* 1766. *Vol. I. P. I. et II. pl.* 15, *tab. aen. viuis coloribus pictae* 100. *Vol. II. P. I. et II. pl.* 15. *tab. aen.* 100.

Iam alio loco *) laudauimus Cel. SCHAEFFERI, tot ad hiſtoriae naturalis incrementum ſuſceptis laboribus clari, conſilium edendi figuras inſectorum Ratisbonenſium, huiusque operis priora duo volumina, pluribus aliis ſine dubio augenda, nunc indicamus. Cum vero Cl. Auctor pleniores inſectorum deſcriptiones, quas addere figuris his promiſerat, mutato conſilio omiſerit, breuiter tantum de hoc opere ad Lectores referre ſufficiet. Continent ſingula volumina quinquaginta plagas, in vtraque pagina inſectorum imaginibus refertas, vt centum eiusmodi tabulae volumen conſtituant. In figuris ipſis inſectorum ordinandis Cl. SCHAEFFERUS, nec claſſium, nec generum rationem habuit, ſed prout varia inſecta ei in manus inciderant, ea pingenda curauit. Hinc factum eſt, vt nonnunquam inſecta omnium claſſium

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 148.

claſſium in vna eademque tabula reperiantur. Saepe enim ad quindecim et vltra in vna eademque tabula delineata videmus. Figurae elegantes ſunt, ſuperantur tamen a Cl. ROESELII figuris, cuius artem et elegantiam nemo adhuc opifex imitando aſſequi potuit. Addita ſunt nomina generica, quae Cel. Auctor quondam in fundamentis entomologicis *) propoſuerat, ex LINNAEO et GEOFFROY vt plurimum ſumta. Species, numeris additis, diſtinguit, ita vt *ſcarabaeus primus*, *ſecundus*, *tertius* etc. hic occurrant, plane nullo aut incerto ſatis ordine ſeruato. Inter inſecta delineata nonnulla noua nobis viſa ſunt, quorum tamen numerus non adeo magnus eſt. Additus quoque ſingulis voluminibus eſt index, in quo latina et germanica generum nomina reperiuntur.

Haec ſunt, quae de hoc opere, in vniuerſum conſiderato, dici poſſunt, quod inter ſplendidiſſima opera entomologica omnino referri meretur, regalique liberalitate, qua Cl. Auctor in eo adornando ſuffultus eſt, non indignum iudicamus. Interim duo ſunt, quae Cel. Auctorem neglexiſſe vehementer dolemus. Verendum enim nobis eſſe videtur, ne vtrumque haud parum impediat vſum, egregium alias ab hoc libro expectandum. Primum quod Cl. Auctori haud placuerit, veluti alio quoque loco de fungorum iconibus, ab eo editis, conqueſti ſumus, in tam ſplendido opere addere ſynonyma, vel allegare deſcriptiones ab aliis conſtructas. Ita enim aliter fieri non poteſt, quam vt plerique entomologi, vel nullum prorſus fructum ex hoc opere haurire, vel longo demum eoque non parum taedioſo labore, quod ſentiant hic deeſſe, ſupplere poſſint. Deinde, quod ſine vllo ordine inſecta diuerſorum generum pro pictoris lubitu coaceruata ſint, cum tamen, ſi vnius

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 150.

vnius generis inſecta ſimul oculis adſpicientis ſe praebeant, ex diuerſarum ſpecierum comparatione accurata inſectorum cognitio adquiri poſſit, quae nunc ex omnibus tabulis conquirenda ſunt. Serio igitur rogamus Cl. Auctorem, vt, quae hic ſcripſimus, ſi forte ad eum peruenerint, digna attentione in continuatione huius ſplendidiſſimi et pretioſiſſimi operis cenſeat, gloriamque partam augeat accommodando figuras ſuas communi entomologorum vſui. Quid enim iuuat figuras inſectorum coaceruare, pretioſorumque operum entomologicorum numerum augere, ſi ex hac re vel nullus, vel ſerior tantum fructus ad publicum vſum redundet.

XI.

Traité des maladies des gens de mer, par Mr. POISSONNIER DESPERIERRES, Conſeiller Médecin ordinaire du Roi, Cenſeur royal, & Médecin de la Grande Chancellerie. à Paris, chez la Combe, libraire. 1767. 8 maj. pagg. 429. absque dedicatione et praefatione, cum tabula aeri inciſa.

i. e.

Tractatio de morbis hominum mari viuentium, Auctore Cl. POISSONNIER DESPERRIERES.

Si perpendimus, diuerſam penitus vitae rationem eſſe nautarum ab hominibus terram continentem inhabitantibus, neceſſarium omnino iudicabimus, vt ad illorum morbos diligentius reſpiciatur. Quod quamquam a variis iam celeberrimisque viris factum fuit, tantum tamen abeſt, vt hoc ſcientiae caput ex omni parte abſolutum dici queat, vt potius grates habeamus Cl. Auctori, quod hanc materiam adeo ſollicite

ſollicite atque erudite expoſuerit. Cum nuper opus auctoris cuiusdam Gallici *) indicaremus, monebamus, eum praecipue in gratiam nautarum ipſorum ſcripſiſſe; Cl. Auctor autem, quem tamen prior ille non videtur conſpexiſſe, magis medentes ipſos inſtruit, theoriam cum obſeruationibus propriis aeque ac aliorum coniungendo, et inde ſyſtematis quaſi medicinae naualis, vt ita dicamus, fundamenta ponendo. Introductio notionem generalem nutritionis p. 2.
corporis, effectusque aëris et atmoſphaerae in illud fiſtit et haec omnia ad conditionem nautarum applicat, in qua quidem tractatione multa repetuntur ex libro ipſius auctoris, cuius nuper iam memorata occaſione mentionem fecimus. Caput primum de ſcorbuto exponit, vbi Noſter ad celeberrimum tractatum Cl. LIND prouocat et commentarii quaſi p. 27.
loco quaedam ſubiungit. Cauſſa vna eſt, quae neceſſario requiritur ad eum producendum, nempe aër frigidus et humidus; ſunt autem duae aliae, quae illam multum intendunt, nempe alimentorum praua indoles, et motus, aut defectu, quod tamen rarius vtique contingit, aut exceſſu peccans. Nec ſolum frigus ſufficit, vtpote quod non adeo impedit perſpirationem, ſed humiditatem cum eodem coniunctam eſſe oportet. Cohibita his cauſſis perſpiratione, quae fere vnica cauſſa dici debet morborum nauigantium, a reſorpto humore, per transſpirationem non excreto, tota maſſa humorum inficitur et inde omnia ſcorbuti ſymptomata facile explicantur. Neque inflammatio locum habet, quia cauſſa laedens ſucceſſiue neque vno impetu applicatur, nec relaxata ſolida adeo viuide in fluida agere, neque haec reſoluta

*) Eſſai ſur les maladies, qui attaquent le plus communement les gens de mer, par G. M.**. vid. Comment. horum Vol. XVI. Part. III. p. 452.

ſoluta adeo facile ſtagnare poſſunt; quid? quod febris, ſcorbuto ſuperueniens, teſte Cl. LIND funeſtiſſimum ſymptoma ſiſtat. Alimenta durioris digeſtionis ſcorbutum non generant, ſed, dummodo rite elaborentur, ſanguinem denſiorem producunt, et ideo ipſum quodammodo anteuertunt, deficiente autem motu corporis omnino deprauantur, et humores inquinant. Sic etiam ingrati animi affectus, immundities, exhalationes putridae ex fundo nauium cet. nonniſi pro cauſſis acceſſoriis haberi debent. Cum igitur aër humidus et frigidus frequentius in mari, quam in terra obſeruetur, inde liquet, cur morbus noſter illic frequentior, quam hic ſit, vbi tamen, concurrentibus cauſſis iisdem, etiam oriri poteſt, adeo vt in quibusdam regionibus vel fuerit, vel adhuc ſit endemicus: praeſertim vrbes maiores ei multum fauent, quod vel ipſius Lutetiae exemplum confirmat.

Diſtinctio inter varias morbi noſtri ſpecies, v. c. terreſtrem et maritimum, frigidum et calidum, acidum, alcalinum, muriaticum cet. fundamento caret, quod iam Cl. LIND cognouit; ſed tres morbi gradus ſollicite inter ſe diſcerni oportet, originem nempe, incrementum et ſummum denique faſtigium. In primo morbus noſter aegre ab hypochondriaco malo dignoſcitur: ſymptomata primaria ſunt laſſitudo ſpontanea, dolores artuum, rheumaticis ſimiles, motum vel leuiſſimum inſequentes, triſtitia inſolita, tumor gingiuarum, nonnumquam cum dolore, appetitus naturalis quidem, ſed abdomen in nonnullis paullum tenſum abſque dolore cum aluo ſegniore, cutis ſicca, perſpiratio ſenſim imminuta. In ſecundo ingraueſcunt haec ſymptomata, accedentibus aliis: cutis aridiſſima, interdum aſpera, ſaepe etiam paruis obſita tuberculis, maculae primo flaui, poſtea, cum confluunt, plumbei et nigricantis coloris;

gingiuae

gingiuae exulceratae et ſanguinem plorantes; dentes excidentes; anima foetidiſſima; ſaliuatio copioſa; dolores pectoris; vlcera variarum partium ſanioſa, liuida carne fungoſa, tacta ſanguinem fundente, repleta; vrina ſaepe pinguis et oleoſa; ſanguis ex vena ſecta difficillime exiens, reſolutus et cito in putrilaginem verſus, emollitio muſculorum, oſſium, quin ipſius calli. Tertius morbi gradus omnia haec ſymptomata ſummopere aucta ſiſtit: os maxime foetet; debilitas ſumma ne e lecto quidem ſurgere aegros ſinit; interdum, hoc tentantes, ſyncoptici moriuntur, interdum haemorrhagiis, interdum poſt nimium quemcunque motum, interdum etiam ſolum aërem liberum hauſturi. Si etiam ſcorbutus ipſe aegros non trucidat, enecantur tamen hydrope, phthiſi vel aliis morbis, inde natis. Febris ex obſeruatione Cl. ROUPPE in principio morbi nonnumquam ſalutaris, ceteroquin pernicioſiſſima eſt.

Recenſitae ergo morbi hiſtoriae varias obſerua- p. 65.
tiones Cl. Auctor ſubnectit. Symptomata primi gradus ſiſtunt effectus ſpiſſitudinis humorum et plethorae; prior ſequitur relaxationem ſolidorum, quae crudum chylum ſatis perficere nequeunt; altera ſuppreſſam tranſpirationem: ipſa tamen fluida a reſorpta acriori materia perſpirabili breui poſt reſoluuntur et ſolida ipſa ad aliquam contractionem ſtimulant, vnde morbus in hoc ſtadio vinci adhuc poteſt. Gradus ſecundi ſymptomata aperte probant reſolutionem humorum, et ipſa crepitatio articulorum a ſynouia reſoluta, neque ideo oſſium capita ſufficienter lubricante, pendere videtur. Diagnoſis p. 69.
morbi facile ex vno alteroque horum ſymptomatum (neque enim omnia ſemper adeſſe oportet) cum conſideratione cauſſarum patet. De prognoſi ſe- p. 70.
quentia notanda ſunt; corpora teneriora, fibrae laxae et mollis, vel quae haud ita pridem ab alio mor-

bo conualuerunt, praecipue quae mercurialibus medicamentis tractata ſunt, prae reliquis morbo noſtro obnoxia ſunt; in vltimo caſu tamen ab vſu incraſſantium v. c. lactis eiusque ſeri facile morbus vincitur, fibris, priſtinum tonum recuperantibus, modo ſimul reliqua auxilia applicari queunt. Qui ſemel ſcorbuto laborarunt, ſemper occultam quandam ad eum diſpoſitionem retinent. Curatio difficillima eſt, niſi aëris vitia ſimul corrigi poſſint, quare, his ſponte mutatis, tota res ad ſenſum melius cedit. In genere primus gradus facile curatur, niſi vel cauſſae perpetuo ſubſiſtant, vel remedia apta adhiberi nequeant: ſecundus iam [illegible] periculum portendit, interdum tamen vincitur: in tertio curatio difficillima, imo vix vlla, licet arduum ſit inuenire terminum, in quo morbus plane inſanabilis pronun-
p. 75. ciari debeat. Ipſa autem curatio in duo momenta diſpeſcitur, alterum, quomodo praeuertatur morbus, alterum, quomodo iam praeſens curetur.

Prophylaxis in terra facilior eſt, quam in mari. Aër humidus et frigidus corrigitur, accenſis lignis reſinoſis aut ſuffimigiis eius indolis, perflatu liberioris aëris, contignatione pauimenti conclauium in ima domus parte et alkali fixum in eorum angulis reponendo. Sedilia et lecti ad pedis altitudinem ſuperſolum eleuata eſſe debent et, ſi neceſſitas vrgeat, vt ſomnus capiatur in eiusmodi conclauibus humidis, lectos multum eleuatos, quam longiſſime remotos a muro et quam proxime ad caminum collocatos eſſe oportet, ſtragulis ſaepius renouatis. Pedes perpetuo caute obtegendi ſunt. Opus praeterea eſt alimentis bonae digeſtionis, recentibus, praecipue ex vegetabilibus antiſcorbuticis; pauca aqua vtendum, ſed vino, praeſertim, qui chinae cortici infuſus fuerit. Summus etiam vſus eſt exercitii moderatioris. Reliquis omnibus autem incaſſum adhibitis,

vnum

vnum remedium reſtat efficaciſſimum, mutatio domicilii. In mari omnia haec auxilia difficilius, imo quaedam prorſus non applicari poſſunt, eoque maiori ideo attentione opus eſt. Ante omnia munditiei veſtimentorum ratio habeatur; aëris puritati quocumque modo ſtudeatur, ſuffimigiis, ventilationibus cet. Alimenta, quantum fieri poteſt, bonae indolis aſſumantur; commendatur vinum, reprobantur ſpiritus ardentes. Ad victum praecipue oryza p. 89. laudatur, in cuius crebriore vſu cauſſam ponit Auctor Cl., cur Itali adeo parum ſcorbuto obnoxii ſint. Vegetabilium acidorum eorumque ſucci, ſyrupi in modum inſpiſſati, ſummus vſus eſt. Laudatur etiam cereuiſia, quae ſi debilior fuerit, acui poteſt ſuccis iam memoratis et adiumento pauxillo ſpiritus, ex ſaccharo, frumento aut vino deſtillati; hoc enim modo noxia horum ſpirituoſorum indoles corrigitur, ſi ipſa cum mucilaginoſis coniunguntur: ſuadetur etiam cereuiſia cum cortice chinae vel abſinthio parata, vel ea, qua Suecicus olim exercitus vſus eſt, decoctum nempe ramulorum teneriorum abietis rubrae vel pinus ſylueſtris. Vegetabilia ex alliaceorum genere inſigni etiam virtute pollent, ideoque cepae, aceto vini et ſale maceratae, per ſtrata in ſale communi reponendae et ita per iter aſſeruandae, ſi vero iis veſci velint nautae, ſola aqua calida abluendae ſunt. Acida mineralia v. c. elixir vitrioli tantos effectus non edunt, quam vegetabilia, cum partibus mucilaginoſis ſubtilioribus coniuncta, licet in ſymptomatibus ſcorbuti non contemnendi vſus ſint; ſi ergo ipſa vegetabilibus ſubſtituere cogimur, adiungendum eſt ſufficiente quantitate ſaccharum et compoſitio haec alimentis farinaceis immiſcenda. Neque acetum prius dicta acida virtute aequat. Aqua marina ſcorbutum non generat, ſed aluum purgando in principio illius potius proficit. Ad aquam

a corruptione praeſeruandam varii variis modis vſi ſunt; praeſtare tamen videtur methodus Cl. LIND, qui eam, addito ſucco aurantiorum, limoniorum cet. acidulam reddit. Accedere tamen oportet cautiones in ipſis doliis implendis obſeruandas. Sin autem corrumpitur, non ſufficit ſola ebullitio ad eam corrigendam, cum eadem perdat principium quoddam volatile, quod ex eo patet, quoniam talis aqua ventrem obſtipat, non laxat. Methodus Cl. LIND, aquam, excitato interno motu, ad depurationem diſponendi, nimium temporis requirit, quare idem finis breuiori tempore obtineri poterit, ſi dolio, in locum calidiſſimum nauis collocato, ſufficiens quantitas aquae bullientis immittitur, idque per vices repetitur; iniecta poſtmodum ſolutione ichthyocollae, materiae putrefactae et heterogeneae praecipitantur et aqua bonae indolis ſubtrahi poterit. Tandem etiam exercitium corporis ſumme neceſſarium eſt, ad quod praefecti nauis nautas, ſi laboribus deſtituantur, omni modo incitare debent; hoc autem moderatum tantum eſſe oportet.

Conualeſcentes ab aliis morbis, qui corpus mouere nequeunt, frictionibus iuuandi ſunt. Progredimur nunc ad rationem medendi, in ipſo morbo iam praeſente adhibendam. Diuerſiſſimae indolis ſunt remedia, ab Auctoribus propoſita, eaque ſibi ſaepe e diametro oppoſita; in eorum autem vſu determinando ad varios morbi gradus reſpiciendum eſt. In primo venaeſectio, ſi corpus robuſtum, humoribus plenum, neque antea ſcorbuto affectum fuit, in principio inſtituenda eſt; poſtmodum purgantibus, acidulis potiſſimum, vt tamarindis, cremore tartari, manna, cum amaris, chinae cortice, rheo cet. combinatis, vel etiam ſalibus neutris vtendum, aut vomitus, vino ſcillitico mouendus; applicanda etiam ſunt veſicatoria, ſi ſtatus aegri ea poſtulat: et

tum

tum ad antiſcorbutica ex naſturtinorum claſſe, ſpiritus volatiles, diaphoretica acriora v. c. infuſum ſerpentariae Virginianae, contrayeruae, chamaedryos, lignorum ſudoriferorum, theriacam, camphoram, progrediendum, quibus et cardiacorum acidulorum, potus fermentati, Peruuiani corticis, abſinthii aliorumque ſtomachicorum vſus ſubiungatur. His enim omnibus et ſolidorum vires reſtaurantur, et fluida ipſa exagitantur, et ad celeriorem circulationem diſponuntur, diaphoreſi ſimul auctiori reddita, cui ſcopo etiam balnea mirifice fauent. In ſecundo morbi gradu diaphoretica acriora, quae nimiis a Cl. ROUPPE laudibus extolluntur, pariter ac ſola mucilaginoſa exulare debent: ſed commendantur plantae ſaponaceae ex naſturtinorum potiſſimum claſſe et his analogae, fructus acidi eorumque ſucci, addito ſaccharo inſpiſſati, potulenta fermentata, quorum antea iam facta eſt mentio, praecipue illud, quod *cidre* appellant. Suadet etiam Cl. Auctor remedium ex cremore tartari drachma vna, ſacchari crudi vncia vna, reſina guaiaci granis quatuor, longa trituratione inter ſe coniunctis, cuius quotidie vncia vna in iuſculo aut potu quocumque aſſumatur. Rob prunorum, addito ſaccharo paratum, in aqua ſolutum, aluum apertam ſeruat, quo remedio ea etiam, ſi opus eſt, moueri debet; fortiora enim purgantia aliena ſunt. De acidis mineralibus cum ſolis tum dulcificatis idem valet, quod in primo morbi gradu monitum eſt.

In omni praeterea ſcorbuto cauſſarum eius arcendarum rationem haberi oportere, facile quisque perſpicit. In gradu tertio, ſi quis curationi locus eſt, ea in principio inſtituatur remediis dulcibus, vnctuoſis, ſaponaceis, vbi ſummum laudem merentur fructus aurantiorum dulcium eorumque ſuccus et potus *cidre;* reſolutione humorum iis quodammodo cohibita, progrediendum ad ea, quae in ſecundo gradu

du morbi excitare vigorem ſolidorum valebant, v. c. ſuccos acidos, cereuiſiam meraciorem, potum *punch* cet. et demum finiendum amaris ſtomachicisque v. c. abſinthio, chinae cortice, vel in infuſo cum vino aut cereuiſia, vel in decocto adhibendis. Symptomata ſcorbuticorum praecipua ſunt aſthma, vlcera gingiuarum aliarumque partium corporis et dyſenteria. Aſthma, niſi in ſummo morbi gradu accedat, curationem admittit, potiſſimum oxymellis ſcillitici vſu primum largiori, vt vomitum excitet, poſtea mitiori, cuius efficacitatem augent infuſa et decocta ex cepis et porro. Vlcera decoctis amaris et adſtringentibus tractanda ſunt, imo acido vitrioli dilnto; in gingiuis huic addatur mel roſatum. Dyſenteria interdum reliquas euacuationes ſuppreſſas compenſat et, iis reſtitutis, ſponte ceſſat; nonnumquam tamen remediis opus habet. Infuſum ipecacuanhae cum ſpiritu vini, quod Cl. ROUPPE ſuadet, pauciſſimis in caſibus locum habet; commendat potius Auctor Cl. parcas doſes rhei, diaſcordium, infuſum chamaedryos et corticis Peruuiani, imo ne fortiora quidem adſtringentia reformidat, v. c. infuſum corticis quercus, alumen ad quatuor vel quinque grana pro doſi cum conſerua roſarum in bolum redactum. Transſpiratione per corpus bene obtectum ſtragulis et veſtibus, ſymptoma hoc etiam ceſſat. Forte quoque veſicatoria aeque commode tonum inteſtinis reddere poſſe putat, ac veſicae eum reſtituunt. Tandem obſeruationes quasdam generales ſubiungit. Scorbutus non eſt contagioſus. In ipſis nauibus, modo tertium gradum nondum attigerit, curari poteſt: eiusmodi ergo aegri ſumma cautione, ne ſub motu vehementiori aut aëri libero exſpirent, in terram continentem exponendi ſunt. Neque ſcorbutus iam adeo ſaeuae indolis eſt, quam olim, quod peruerſae curandi methodo et potiſſimum adhibito

quon-

quondam largiori ſpiritus vini vſui tribuendum videtur.

Cum ſcorbuto non ſolum ratione cauſſarum et ſymptomatum, ſed etiam curationis, ſaltim quantum primum illius gradum ſpectat, febres intermittentes proxime conueniunt, de quibus ergo in capite ſecundo, primo loco exponitur. Praemittitur theoria cum febrium in genere, tum inprimis intermittentium, earumque diuerſitas in plus vel minus vitiato robore ſolidorum potiſſimum ponitur, ita, vt hoc omnium minime imminutum ſit in quotidiana, magis in tertiana et maxime, vna cum lentore infigniore fluidorum, in quartana. Ex hoc etiam facilior vel difficilior ſpecierum harum curatio cognoſcitur. Poſtmodum ſigillatim de tribus his morbis agitur, in qua tamen tractatione nihil, quod ad nautas ſolos pertineat, inuenimus. Caute omnino has febres tractandas eſſe Cl. Auctor monet, neque adeo immoderate febrifugis vtendum. In quartana pertinaciori veſi- p. 181. catoria, ſuris imponenda, commendat. Poſt haec, cum integrum hoc caput morbos, chronicos ſuo modo dicendos, complectatur, de dyſenteria nautarum p. 184. exponit, quae cum aeque ac iam deſcriptae febres a ſuppreſſa perſpiratione oriatur, praemiſſis praemittendis, laudat diaſcordium tamquam anodynum et ſudoriferum. Deinde ad rheumatiſmos progre- p. 193. ditur, vbi infuſa et decocta diaphoretica leniora, antimonium diaphoreticum, kermes minerale in minima doſi, embrocationes cum aqua marina calida et veſicatoria prae reliquis commendat et tandem pauciſſima de tumore tonſillarum et glandularum ſalivalium ſubiungit.

Caput tertium de morbis nauigantium acutis p. 197. agit. Sicut ii pleuritidi multum obnoxii ſunt, ita

eadem ipſis plerumque funeſta eſt et frequentius gangraena terminatur. Differentia inter phlegmonoſam et eryſipelaceam futilis eſſe videtur Noſtro, ſed magis attendenda ea inter ſuperam, vel quae ſuperiorem pectoris partem et vaſa ſubclauia afficit, et inferam, vel quae ſimul diaphragma et ſaepius etiam hepar tangit. In ſpuria venaeſectionis et emeticorum vſus a ſtatu aegri indicari debent; praeterea autem topicis, infuſis et decoctis diaphoreticis lenioribus et in grauiori caſu potiſſimum veſicatorio, loco dolenti applicando, opus eſt. Eadem remedia cum debita cautione etiam in pleuritide vera valent; reſolutio tamen, per expectorationem praeſtanda, omni modo iuuari debet, ad quam oxymel ſcilliticum, adiuncto infuſo calido plantarum pectoralium cum pauco melle et conueniente doſi kermes mineralis, praecipue facit: exulare autem debent pinguia, vt oleum amygdalarum dulcium, ſperma ceti cet. Iisdem remediis peripneumonia tractanda eſt, vbi tamen oxymel ſcilliticum principatum tenet. Febris catarrhalis itidem plerumque per expectorationem ſoluitur: abſtinendum tamen a potu nimio. Solidis nimis debilitatis, roborantia et purgantia tonica, vt rhèum, cum manna coniuncta, adhibenda ſunt. In hoc autem morbo abuſus venaeſectionis et eorumdem pinguium, quae antea repudiauerat Cl. Auctor, iterum reprehenditur.

Praeter hos acutos morbos ſunt etiam tres alii, vere tantum gradu diuerſi, nempe ſynochus ſimplex, febris putrida et febris putrida maligna ſiue peſtilentialis, quam etiam febrem nauium dicere poſſis. Potiſſimum in poſteriori morbo deſcribendo copioſior eſt Cl. Auctor, monſtrando eiusdem affinitatem et ſimilitudinem. Cum febre noſocomiorum a Cl. PRINGLIO deſcripta, et plura eiusdem exempla ex temporibus bellorum nuperrime

ab

ab annis 1740 – 48 et 1756 – 62 geſtorum adducendo; inprimis autem viuidiſſimam, licet triſtiſſimam ſimul, deſcriptionem huius morbi exhibet, p. 262.
qui, exeunte anno 1757, per claſſem ducis maritimi DUBOIS DE LA MOTHE, ex promontorio Britonum reducem Breſtiam delatus fuit et horrendiſſimas ibi ſtrages edidit. Ex omnibus ſymptomatibus morbi cum cauſſis eiusdem collatis, ſubiunctis ſimul cadauerum exſpiciis, ſumma eius malignitas patuit; ipſe tamen triplici potiſſimum modo conſiderandus erat: vel ſponte natus a ſola actione cauſſarum generalium, vel ſola contagione, vel vtraque ſimul. Inde in aliis in principio inflammatorius tantum, in aliis ſimul putridus obſeruabatur, quod certe diſcrimen diuerſam curationis methodum exigebat. Remedia praemittenda generalia, v. c. venaeſectio et vomitoria, ab indiuidui cuiusuis conditione determinabantur: reliqua curatio in omnibus purgantia leniſſima cum tonicis coniuncta, analeptica et cardiaca acidula, antiſeptica cet. poſtulabat. Accedere autem omnino debebant auxilia reliqua, in nauibus omnino nonniſi difficillime adminiſtranda, v. c. mundities aegrorum, loci, in quo verſarentur, opportunitas et aëris depuratio, ad quae praeſtanda vtiliſſima monita exhibentur.

Haec tamen omnia fuſius recenſere non poſſumus, quo ad caput quartum progrediamur, quod p. 320.
morbos pertractat, nautas infeſtantes, cum in nonnullis regionibus calidis appellunt, aut in quibusdam litoribus vel portubus commorantur. Maligna huius illiuſue regionis indoles nonniſi partialis cauſſa dici poteſt: generalis enim ponenda eſt in calore aëris atmoſphaerici, qui in terra continente ſemper maior eſt, quam in mari, quia ſolum ipſum reflectit radios ſolis et continuo vnam eamdemque

ipſis ſuperficiem praebet, cum ſuperficies aquae omni momento mutetur. Ideo etiam venti, trans mare flantes, nautis ſalubriores ſunt, quam qui a continente aduenium. Accedit etiam motus nauis ipſius, quouis temporis puncto aliam aeris columnam ſecantis, atque igitur ſubitae mutationi huius aeris multum omnino tribui oportet. Naues ergo non niſi ſumma vrgente neceſſitate appellant et tunc etiam, ſi fieri poſſit, altum mare ad debitam diſtantiam teneant, loca autem inter montes ſita, nec liberum aerem admittentia, ſummopere vitent. Sin autem opus eſt nautis in terram emittendis, ii, ſi vlla ratione fieri poteſt, quauis veſpera nauim repetant, vel ſi hoc prorſus impoſſibile fuerit, in tentorio, ad maris litus exſtructo, cuius apertura illud ipſum reſpiciat, in lectulo penſili dormiant. Morbi, his cauſſis orti, remediis generatim propoſitis indigent, potiſſimum autem mutatione loci, qui eos tamquam praecipua cauſſa induxit.

p. 347. Accedimus tandem ad caput quintum idemque vltimum, de remediis conſeruandae ſanitatis nautarum agens. Primo loco dicitur de renouatione et depuratione aeris, vbi complura ſaluberrima conſilia dantur de multitudine hominum imminuenda, quandoquidem Angli multo minore eorum copia tantam praeſtant, quantum Galli maiore; porro de nimia copia animalium, quae nonniſi ad luxum, in menſis praefectorum nauis fouendum, in naui detinentur, vbi iterum frugalitas Anglorum ad imitandum proponitur. (In genere per totum hoc caput Cl. Auctor pluris facit inſtituta rei nauticae Anglorum, quam Gallorum et vt hi illorum exempla ſequantur, ſemel atque iterum admonet). Poſtmodum ventilator Cl. HALESII deſcribitur, eiusque conſtructio in icone exhibetur; porro machina

eidem

eidem vſui inſeruiens a Cl. SUTTON inuenta et a Cl. DUHAMEL nauibus Gallicis accommodatior reddita, cuius vlteriorem emendationem ipſe Cl. Auctor proponit, quae tamen nec paucis verbis ſatis explicari, nec niſi adiuncta figura, ab eodem hunc in finem addita, clarius ſiſti poteſt. p. 372. Fundi nauis praeterea repurgatione crebriore multum opus eſt. Neque demum poſthaberi debent ſuffimigia, putredini aeris oppoſita, quorſum etiam exploſio tormentorum maiorum iure meritoque pertinet. Proxime cum his auxiliis mundities in naui ipſa et cum hac mundities nautarum in ſpecie coniuncta eſt, ad quam iſti homines inſpectione praefectorum adigendi ſunt. Balneorum ſummus eſt vſus; venaeſectio prophylactica locum habere debet, cum appropinquando ad aequatorem ventus motum nauis non ſufficienter adiuuat, neque ſatis calorem ſolis temperat. Ad nutrimentum quod ſpectat, alimentis digeſtioni durioris addi debent corrigentia ex vegetabilibus, vt allium, cepae, lauri folia, piper, acetum vini et praecipue ſinapi. Legumina prius decorticari deberent, quam naui committerentur: lardum vero carnesque ſalitae per aliquot momenta ante praeparationem et vſum vlteriorem in aqua feruente macerari, quo rancorem contractum deponant. Panis bis coctus non niſi optimam farinam frumenti ad ſui praeparationem requirit, et recenter coctus breuiſſimo ante primordia itineris tempore in nauim deferendus eſt. Loco carnis ſalitae aeque ac recentis in nauibus ſummo cum fructu adhiberi poſſunt tabellae ex gelatina eiusdem coacta paratae, quae Anglis iam frequentiſſime in vſu ſunt. Caſei vſus, nautis Belgicis adeo familiaris, tolerandus eſt, isque certe carnibus ſalitis praeferendus. Oua in naui a corruptione praeſeruantur, ſi vernice quodam leuiore obducantur. Mos

Anglo-

Anglorum, aquam, iniecta calce viua, conſeruandi, laudandus eſt et imitandus; neque vero alia auxilia, v. c. transfuſio in vas aliud, agitatio fortior, immiſſio globulorum ferreorum ignitorum cet. negligenda ſunt. Vinum tam purum, quam quod abſinthio aut chinae cortici infuſum fuerit, omnino ad nauim bene exſtructam neceſſario requiritur: alia vero ratio eſt liquorum deſtillatorum, qui magis nocent, quam proſunt. Animi tandem etiam affectuum rationem habere conuenit. Poſtmodum de conditionibus in nauta requiſitis, de modo tractandi aegros, de remediis in naui ſeruandis et itineribus longioribus aptis, de requiſitis eorum, qui nautarum morbis mederi debent, diſſeritur, vtiliſſimis vbique monitis inſperſis, quae tamen ſingula repetere breuitas nos prohibet: quae quidem ſi obſeruentur, nullum eſt dubium, quin morbi nauigantium feliciori in poſterum cum ſucceſſu, quam hactenus plerumque factum eſt, impugnari et vinci queant.

XII.

Expériences & obſervations ſur la cauſe de la mort des noyés, & les phénomènes, qu'elle préſentes faites publiquement à l'Ecole royale Vétérinaire de Lyon, ſous les yeux des Commiſſaires nommés; approuvées par leur rapport & le jugement de l'Academie royale de Chirurgie. Par Mr. Mr. CHAMPEAUX & FAISSOLE, Gradués Maîtres en Chirurgie de Lyon & Chirurgiens du Roi en cette ville &c. A Lyon, de l'imprimerie d'Aimé de la Roche. A Paris, chez Didot le jeune. 1768. 8 maj. alph. 1. cum plag. dimidia, absque praefatione et indice rerum contentarum.

i. e.

Experientiae et obſeruationes ſuper cauſſa mortis eorum, qui in aqua ſubmerſi perierunt, phaenomenisque ab eadem oblatis, publice in ſchola regia veterinaria, quae Lugduni Galliae eſt, factae coram Commiſſariis denominatis, approbatae horum relatione et iudicio Academiae regiae chirurgicae. Auctoribus Cll. CHAMPEAUX et FAISSOLE cet.

Cauſſa, quae huic operi occaſionem dedit, adeo celebris fuit, tantoque ſtudio agitata, vt nos certe vituperium merituri videamur, ſi nullam huius libri mentionem faceremus, praeſertim cum nulli dubitemus, ſcientiae noſtrae et ei inprimis parti, quae ad forum iuridicum applicatur, multum inde lucis affulſurum. Puella octodecim annorum, Lugduni die 25 iunii 1767 hora nona veſpertina diſparuit,

ruit, et poſtmodum die 30 eiusdem menſis cadauer ipſius, a patre aliisque cognitum *), ad nouem milliarium Gallicorum diſtantiam in Rhodano prope villam Condriacum (Condrieu) inuentum et, poſtquam per dimidiam horam libero aëri expoſitum iacuiſſet, ac deinde in arena ſepultum fuiſſet, poſtmodum praeſentibus iudicibus a chirurgo huius villae GIRAUD inſpectum et inde relatum eſt, linguam ad duos minimum pollices extra os propendiſſe, circa collum obſeruatas eſſe depreſſiones in carnem penetrantes et contuſiones laqueo adſcribendas; teſtes, qui cadauer ex aqua extraxerunt, confirmarunt, depreſſionem in carne circa collum fuiſſe figurae irregularis aut rotundae, et viſum eſſe productum a laqueo aut catena. Poſt haec cadauer humatum eſt, ſed die 10 iulii denuo effoſſum et a viris, quibus praeſertim librum debemus, ſectum, vbi caput ſine tegumentis, cranium integrum, faciem, collum, extremitates ſuperiores et pudenda externa, quae ſine pilis erant, vermibus depaſta, extremitates inferiores mire inflatas et cuticula fere deſtitutas, pectus contra et abdomen non mutata deprehenderunt; vaſa encephali ſanguine turgidiſſima, cor in naturali ferme ſtatu, pulmones collapſos maxime, et in interioribus illorum aquam nullam; viſcera abdominis in ſtatu naturali, ventriculum maſſa virideſcente repletum, quae videbatur eſſe coena ex herbis recentibus, vna circiter ante mortem hora ſumta; ex quibus hi viri colligebant, feminam iſtam mortem violentam ſubiiſſe et mortuam in aquam iectam eſſe. Magiſtratus

*) Recentius tamen euulgatum ſcriptum, cuius iurisconſultus ELIAS DE BEAUMONT Auctor eſt, ideo totum controuerſiae ſtatum inuertere annititur, quod cadauer iſtud non fuerit feminae ſupra nominatae; quare, corpore delicti incerto reddito, omnem inquiſitionem fruſtraneam fuiſſe, probare tentat.

ſtratus ergo varios vtriusque ſexus homines, in quas aliqua cadebat ſuſpicio, comprehendi iubebat, quorum defenſores, viri iuriumconſultiſſimi BLOND et LOISEAU, vrgebant inſufficientiam concluſionis, ex praemiſſis ſupra indicatis petitae. Iam igitur Auctores noſtri primo epiſtolam ad Cl. LOUIS ſuper hac materia typis exſcribendam curabant; quae cum tres excitaſſet aduerſarios, omnes quidem Lugdunenſes, nobis tamen incognitos, P. et PR. chirurgos et V. medicum *), ſimulque diſtributa eſſent omnia prioris ad Cl. LOUIS epiſtolae exemplaria, nunc Auctores noſtri praeſenti volumine integrum commercium litterarium tradunt, quod ipſis cum celeberrimo hoc viro interceſſit et cuius vlteriorem recenſionem nunc ſuſcepturi ſumus.

Prior epiſtola ad Cl. LOUIS, primo loco ſtatum p. 2.
cauſſae exponit et poſtmodum examinat, quaenam ſint diſtinctionis notae in cadauere eius, qui in aqua ſubmerſus periit et eius, qui mortuus demum in eam fuit iniectus? quem in finem multa experi- p. 22.
menta facta ſunt in animalibus, potiſſimum in canibus, qui in aqua, vel pura vel varie tincta, ſubmerſi ſunt, vel laqueo ſuſpenſi, vel ictu inflicto interemti, vel inter pannos ſuffocati et mortui demum in aquam proiecti. In iis, qui in aqua perierant, conſtantiſſime reperta eſt aqua, in ſpumam reſoluta in bronchiis et pulmonibus, epiglottide erecta, cerebro

vix

*) Hic tamen procul dubio idem eſt, qui p. 261. expreſſe nominatur, Cl. VITET. Tituli horum libellorum ſunt. Réponſe de Mr. PR. . . . Gradué en l'Univerſité de Paris et Maître en Chirurgie de la ville de Lyon, à la lettre de Mr. Mr. FAISSOLE & CHAMPEAUX, ſur le rapport, qu'ils ont fait des cauſes de la mort de la prétendue fille R. Secundi: Conſultation de Chirurgie ou examen d'un rapport Juridique par Mr. P. . . . Chirurgien Gradué &c. Tertii: Diſſertation ſur les noyés, par Mr. V. . . . Méd.

vix mutato; in ventriculo parum vel nihil aquae. Vltimum vitae momentum in inſpiratione vehementiſſima poſitum erat. Animalia e contrario ſuffocata et mortua in aquam iniecta, pulmones offerebant collapſos, at e contrario vaſa cerebri ſanguine maxime turgentia. Humanum etiam cadauer, quod
p. 28. per 24 horas aquae immerſum fuerat, nullum eius veſtigium in ventriculo, bronchiis aut pulmonibus obtulit. Friuole ergo aduerſarii obiiciunt, quamuis aqua in corpus demortuum penetrare nequeat, fieri tamen poſſe, vt homo viuus in aqua pereat ſine eo, vt ipſam hauriat. Cum ergo de mortis violentae genere agendum ſit, quaeritur: num veſtigia ſtrangulationis, quae chirurgus GIRAUD in collo cadaveris inuenerat, antequam iſtud a putredine et vermibus abſumeretur, vere id probent, quod probare
p. 46. debebant? Aduerſarii dicebant, totum cadauer maxime inflatum fuiſſe, adeoque collare ſericeum, turgeſcentia hac breuius redditum, hos effectus edidiſſe, idque eo magis, quia periſcelides eadem ratio-
p. 49. ne maculam nigram produxerint. Sed facile eſt, inuenire diſcrimen inter effectum laquei vel cuiuscunque inſtrumenti, partibus ligandis viui vel mortui corporis applicati: in hoc enim veſtigium quidem aliquod remanet, ſed non adeo pertinax, neque cum contuſione atque ecchymoſi coniunctum, quod olim iam celeberrimus aeui ſui DE VAUX oſten-
p. 52. dit. Neque Auctores noſtri veſtigium vllum a periſcelidibus inductae laeſionis animaduerterunt.

p. 57. Reſponſio Cel. LOUIS ſingula litis huius momenta repetit et primo certitudinem corporis delicti extra omne dubium ponit. Putredinem coërcuit ſepultura in arena, quam ſummum aduerſus illum remedium prophylacticum eſſe GARMANNUS probauit. Inſpectio chirurgi GIRAUD iam ſatis certe probat, feminam iſtam occiſam eſſe et poſtmodum

aquae

aquae iniectum: idem tamen etiam diſquirere potuiſſet, num ipſi forſan ſtuprum violentum illatum eſſet, quo de cauſſa homicidii clarius conſtaret. Mutatus cadaueris putreſcentis ſtatus Auctoribus noſtris nihil permiſit praeter luſtrationem partium internarum: inde nihil abſolute ſtatuere poterant de genere mortis, ſed ſufficiebat demonſtraſſe, eam non fuiſſe poſitam in ſuffocatione ſub aqua. Experimentis adductis Cl. LOUIS maximam fidem tribuit, quippe quae cum iis, quae ipſe olim inſtituerat, exactiſſime conueniant: recenſet poſtea ſententias Auctorum, qui cum ipſo conſentiunt, aquam ſpume- p. 75.
ſcentem in bronchiis et pulmonibus praeſertim ſignum ſuffocationis in aqua eſſe, virorum Cll. SENAC, HALLERI, EVERS, DE COURCELLES, ROEDERERI, et aperte in noſtrorum Auctorum partes deſcendit.

Secunda epiſtola ad Cel. LOUIS maximam par- p. 81.
tem totius operis complectitur, vbi primo mentio fit trigae illius ſcriptorum in aduerſam partem editorum, cuius ſupra mentionem fecimus: in genere hic monemus, nos acriter doluiſſe, in tam ardua re, vbi diſſenſus modeſtus isque doctis et ingenuis viris, dignus certe multo plus vtilitatis allaturus fuiſſet, vtrimque tamen iniuriis, quinimo conuiciis et calumniis non parci; quod quidem omnes boni eo aegrius nobiscum ferent, quo minus vllum partium ſtudium nos trahere aut irretitos tenere poteſt, ſed veritas ſola, eaque nuda, abſque eorum, qui ſecus ſentiant, illuſione et obtrectatione, quaerenda ſit atque amplectenda. Verum haec obiter. Ne vllum con- p. 85.
tra experimentorum fidem dubium moueri poſſet, in ſchola veterinaria, praeſentibus commiſſariis in eum finem denominatis, ea capta ſunt admodum copioſa et circumſtantiis multum variatis, quo, quantum fieri poſſet, obiectionibus quibuscumque ob-

p. 91. viam iretur. Relationes horum experimentorum prolixiſſimae ſunt et ad verbum hic loci transſcriptae,
p. 110. ne fidei eorum quidquam derogari poſſet. Aduerſarius PR. poſtulauerat, vt, inſciis Auctoribus noſtris, duorum canum alter in aqua ſuffocaretur, alter ſtrangulatus in eam iniiceretur, poſt quinque dies vterque corpore inuerſo in tecto ad plagam meridionalem ſuſpenderetur, et tunc Auctorum noſtrorum examini ſubiiceretur, quod etiam poſt duodecim dies, licet ſumme foetentibus cadaueribus, factum eſt, et differentia inter ſuffocatum et ſuſpenſum ex ſtatu pulmonum et encephali clarae luci expoſita.
p. 124. Ligaturae fortes in femore et crure cadaueris humani depreſſiones diſtinctas ſatis induxerunt, ſed, licet laqueis per quinque dies ibi relictis, colorem cutis non mutauerunt: eadem experimenta in cadauere alio facta, quod poſtea duodecim dies aquae immiſſum fuit, eumdem fere effectum monſtrauerunt, lingua a collari ſericeo, quo collum conſtrictum fuerat, neque inflata, neque extra os emiſſa, et cuti ſupra et infra ligaturam corrugata quidem et plicata, coloris tamen prorſus non mutati. His praemiſſis, Auctores noſtri ad tria momenta diiudicanda ſeſe accingunt: primo, *feminam, de qua agitur, mortuam demum in aquam proiectam eſſe;* ſecundo, *illam vnam circiter ante mortem horam comediſſe herbas virides;* tertio, *eam morte violenta periiſſe.*
p. 134. Ad primum momentum declarandum variae quaeſtiones pertinent. 1. *Eſtne praeſentia aquae ſpumeſcentis in bronchiis cauſſa mortis in aqua ſubmerſorum?* Mechaniſmus pectoris et pulmonum inſpirationem etiam praeter voluntatem noſtram exigit: ſub aqua ergo neque aër egredi ex pulmonibus, neque eosdem intrare poteſt, ſed aqua intrans cum aëre, exitum moliente, commiſcetur, ſimulque cum muco, ſuperficiem internam canalium aëreorum lubricante,

bricante, vnitur, adeoque ſpumam iſtam ſiſtit in pulmonibus et bronchiis eiusmodi cadauerum reperiundam. Huius ergo praeſentia cum pulmones impediat eodem modo ſeſe expandere, ac ſi aër elaſticus intraſſet, deſtruitur reſpirationis mechaniſmus, et ſubſequitur ſuffocatio. Falſum ergo eſt, quod vnus ex aduerſariis vrget, in quocumque mortis genere exſpirationem vltimam eſſe corporis actionem; neque ſermo popularis hac in re probationis eſſe loco poteſt. Neque haec aqua ſufficiens eſt ad muſculos, glottidem claudentes, adeo irritandos, vt haec ingreſſum eius impediat; minime enim et in iis ſubiectis, quae ex ſuffocatione in vitam reuocantur, copia ipſius determinari poterit, cum vomitu reiecta miſceatur cum materiis ex ventriculo egredientibus et ſaliua, quae tum copioſior excernitur. Haec autem ſpuma cum ſimilibus fluidis, a morbo productis, confundi nequit: huius enim in pulmonibus ſedes facile ex ipſorum diſſectione patuit. 2. *Poteſtne haec aqua ſpumeſcens longo poſt mortem tempore adhuc adeſſe?* Hoc ex experimentis captis ſatis clare iam patet: ſectio autem cadaueris, poſt nonaginta quinque a ſuffocatione dies ex aqua extracti, rem extra omne dubium ponit, in quo notemus adhuc, inuentam eſſe in ventriculo maſſam chymoſam ex pluribus particulis radicis ſolani tuberoſi compoſitam. Neque haec aqua ſpumeſcens transſudare poteſt, cum cartilaginea et membranaceo ligamentoſa ipſorum bronchiorum ſtructura illud prohibeat, et ipſa illius indoles viſcoſa ab admixto muco bronchiorum profecta obſtet. Idem de egreſſu eius per os ſentiendum eſt. Fermentationem eamdem non deſtruere exemplum cadaueris iſtius probat; neque reſorptio quaedam locum habet, quippe quae in corpore demortuo nulla eſt. 3. *Eſtne defectus huius ſpumae ſignum certum, perſonam hanc non eſſe viuam*

p. 139.

p. 146.

p. 149.

p. 151.

p. 162.

ſubmerſam? Hoc itidem experimenta facta, et magis
p. 166. adhuc ſectio cadaueris affirmant, quod nouemdecim poſt mortem dies ex aqua extractum demonſtrauit, mortem ſubſequutam eſſe poſt laeſiones capitis et
p. 170. conſtrictionem colli; alia huic ſimilis ſectio eiusdem tenoris eſt. Provocant aduerſarii ad fetum, in liquore amnii natantem, quippe qui ſine inſpiratione in bronchia eius ingrediatur: liquor autem is non eſt amnii, qui collapſa ſine inſpiratione bronchia intrare nequit, ſed mucus ex glandulis ſecretus, ob ipſum
p. 178. reſpirationis defectum copioſior. Collapſa itidem ſub articulo mortis bronchia ingreſſum aquae quouis modo arcent, et ſi et is poſſibilis eſſet, tunc tamen aqua limpida apparere deberet, non ſpume-
p. 180. ſcens. Aſthmatici ſectio ab aduerſariis obiecta facile refutatur, quia tunc certe ſedes morbi clare ſatis patebat. Eadem eſt ratio obiectionis ſubtiliſſimae de vomica: ſupponendus enim eſt aeger eo ipſo momento, quo vomica rupta fuerit, in aquam iniectus, et antequam inſpirare potuerit, mortuus eſſe; vix tamen vomica rupta ne minimum quidem temporis ad inſpirandum relinquit: praeterea haec omnia pulmonum inſpectio detectura eſſet. Con-
p. 186. vulſio, vti vrgent porro aduerſarii, omnes muſculos oris ita conſtringere poteſt, vt inſpiratio intercipiatur: at tum ea per nares fiet. Verum omnes hae obiectiones in praeſenti caſu ſponte cadunt, cum nullum vmquam exſtiterit indicium, feminam iſtum morbo pulmonum laboraſſe.

p. 191. Accedimus ad ſecundum momentum, eam vna circiter ante mortem hora herbas virides comediſſe. Nec fermentatio, nec putrefactio chymoſam hanc maſſam adeo ſubito inuertere potuerunt. Obiecerunt aduerſarii, obſeruationes, hunc in finem in experimentis factas, ideo non mereri fidem, quod homo omnium animalium citiſſime in putredinem abeat:

eat: verum haec aſſertio quotidiana ſcholae veteri- p. 193.
nariae experientia refutatur, quae equum omnium citiſſime putreſcere docet. Chemicum examen chymi eiusmodi, quod aduerſarii ſuadent, inſufficiens eſt, imo impoſſibile. Digeſtio longius requirit tempus, donec abſoluatur, nec ſine adiumentis mechanicis partium ſolidarum poteſt effici; fermentationem autem putridam per longum temporis ſpatium abeſſe poſſe, experimenta euincunt. Bilis admiſtio p. 200.
maſſae huie colorem viridem conciliare non potuit, partim quia ſponte ingredi ventriculum nequit, partim quia, etiamſi hoc factum eſſet, flauum potius quam viridem colorem productum fuiſſet. Solutio metallica potius rubrum aut nigrum, quam viridem induxiſſet, ipſumque ventriculum corroſiſſet, qui poſterior effectus etiam ſequuturus fuiſſet a venenata aſſumtorum vegetabilium indole.

Tertium momentum reſtat declarandum, femi- p. 209.
nam nimirum, de qua quaeritur, morte violenta periiſſe. Probationes huius aſſerti ex inſpectione externa et interna cadaueris deſumendae ſunt. Ad priorem quod attinet, quaerendum eſt: 1. *Anne ligatura corpori viuo applicata neceſſario producat depreſſionem pro ratione violentiae adhibitae plus minus inſignem, ſemper coniunctam cum inflatione et ecchymoſi ſupra et infra ligaturam?* quod affirmatur; in ſtrangulatis effectus hi ſemper euidentiores ſunt, quam in ſuſpenſis, et maxime in ea regione, vbi ambo fines laquei contorti inter ſe fuere. 2. *Poſſuntne de-* p. 218.
preſſiones quaecumque, poſt mortem factae, inducere inflationem, contuſionem et ecchymoſin? negatur, et ad ea, quae in epiſtola prima dicta ſunt, prouocatur. Cum autem aduerſarii compreſſioni per collare inſiſtant, ad maculas nigras in dorſo cadauerum vel aliis, quibus ea incumbunt, partibus conſpiciendas prouocant Auctores noſtri, hasque citius oriri in iis p. 222.

corporibus, quae per longius, quam quae per brevius tempus aegrotarunt, demonſtrarunt, adeoque ſtaſi ſanguinis in viuo iam corpore factae adſcribunt. Quantum autem efficiant compreſſiones et ligaturae in mortuo corpore, obſeruationes in cadaueribus
p. 229. factae euincunt. 3. *An depreſſio ſemel in corpore viuo facta poſt mortem deleri poteſt?* Omnino, ſed nonniſi deleta ſimul forma naturali partis affectae, ideoque ſola putrefactione totali. Neque exſiccatio, neque iniectio in aquam, neque inflatio, neque intumeſcentia ſub incipiente putredine eam exſtinguunt.
p. 231. In muſeo Cel. SUE et in officina pharmaceutica Lazariſtarum Pariſiis exſtant cutes integrae, praeparatae, infarciendo molem formamque naturalem adeptae, in quibus veſtigia laquei, regioni colli firmiſſi-
p. 243. me impreſſa, conſpiciuntur. 4. *Numne partes colliſae et contuſae citius reliquis in putredinem abeant?* Affirmatur, quia ipſae iam in ſtatu quodam deſtructionis ſunt. Abdominis tegumenta omnium citiſſime in putredinem vergere aduerſarii obiiciebant, et mirabantur, in praeſenti caſu extremitates inferiores iam putredine tactas, ſuperiores aeque ac col-
p. 247. lum, faciem et cranii tegumenta ab eadem pene conſumtas fuiſſe; ſed cauſſa in eo ſita eſt, quod hae partes liberiori radiorum ſolis attactui expoſitae fue-
p. 250. runt, reliquae vero veſtimentis obtectae. In ipſa autem ad putredinem maiori vel minori propenſione diſtinctio admittenda eſt inter abdominis tegumenta et viſcera eiusdem: haec enim, vt omnes partes membranaceae, difficillime putreſcunt, praeſertim cum aër ex fermentatione contentorum euolutus per anum magno ſaepius cum ſtrepitu exeat.
p. 272. 5. *An lingua turgida et extra os prominens potius ſignum praebeat ſubmerſionis, quam ſtrangulationis aut alius cuiuscumque mortis violentae generis?* Prius negatur ex obſeruationibus in ſubmerſis factis et ſilentio

tio omnium Auctorum: posterius in strangulatis
constanter affirmatur, additis plurium Auctorum p. 279.
testimoniis; potest tamen etiam effectus esse vene-
ni. Alterutram tamen caussam vel praesentia vel p. 282.
defectus vestigiorum laquei circa collum euincent. p. 285.
Probationes, ex consideratione partium interna- p. 293.
rum petendae, partim ad cerebri, partim ad pulmo-
num conditiones pertinent. Aduersarii duobus mo-
mentis insistebant: 1. cerebrum in tanto temporis
interuallo mutatum esse et minus idoneum ad iu-
dicium de mortis genere inde sumendum; 2. vasa
cerebri in iis, qui in aqua pereant, turgidissima re-
periri. Prius refutant experimenta in canibus, quo- p. 297.
rum cerebrum post viginti tres dies, cum cadauera
putrescerent, in statu naturali inuentum fuit. Al-
terum refutatur omnibus experimentis ideo captis;
in duobus tantum sinus in basi caluae pleniores
erant solito, neque tamen vasa cerebro propria. Ali-
ter res sese habet, cum homo, in aquam irruens, ca-
pite ad corpus durum impingit; sed tum caussa
huius effectus facile conspicitur. Neque ebrieta-
tem impedire satis posse, quo minus effectus sub-
mersionis in pulmonibus appareat, neque nimium
sanguinis ad cerebrum impulsum producere, cum
experimentum in cane, tum sectio humani cadaue-
ris probat. Neque frigus insigne aquae in pulmo- p. 304.
nes ingressum impedit, etsi animal immediate ex lo-
co calidissimo in eam immittatur. Cum ergo in fe-
mina saepe commemorata sanguis vasa cerebri maxime p. 312.
distendens pro caussa mortis haberi debeat, nec vini
aut veneni effectibus (vtrumque enim in ventriculo
detectum fuisset), nec contusionibus vllis, quippe de
quibus relatio chirurgi GIRAUD prorsus silet, ad-
scribendus; sola strangulatio aut suffocatio supereſt,
absentibus signis submersionis ex pulmonibus re-
petendis.

p. 320. His concluſionibus aſſenſum praebet collegium chirurgorum Lugdunenſium, quod teſtimonium itidem ad verbum hic exſcriptum eſt. Et haec quidem omnia conſtituunt ſecundam epiſtolam ad Cel. LOUIS ſcriptam, quem rogant Auctores, vt totam litem academiae regiae chirurgicae proponat. Haec
p. 355. examen huius rei commiſit viris Cll. BORDENAVE et GOURSAUD, quorum relatio aeque, ac iudicium totius academiae Auctoribus noſtris fauet.
p. 365. Vltimam totius voluminis partem epiſtola Cel. LOUIS ſiſtit, quae vero nihil propemodum, niſi congratulationes, continet, vlterioreque commemoratione non indiget.

XIII.

Memorie ſopra i muli di varii Autori. In Modena, 1768. Nella ſtamperia di Giovanni Montanari. 8 maj. pl. 4. cum praefatione plag. dimidiae.

i. e.

Variorum Auctorum tractatus de animalibus neutris.

Libellus hic, ab amico Cl. SPALLANZANI editus, quinque diuerſos tractatus continet.

p. 3. I. Cl. BONNETI de hoc argumento tractatiuncula, ad Cl. SPALLANZANI miſſa, repetit, quae in conſideratione corporum organicorum *) tradiderat. Quae cum potiſſimum diſquiſitionem illius animalis ſpectent, quod ex aſina et tauro, aut ex tauro et equa naſcitur, Italis *boſmulo*, Gallis *jumar* dictum, et in Pedemontio ſatis frequens: optat, vt ab anatomico exercitato et pingendi facultate pollente

*) Succincte haec indicata ſunt in Comment. noſtr. Vol. XIII. P. I. p. 38.

lente diſſectio eius ſuſcipiatur; inprimis vt organorum digeſtionis et generationis, et ex partibus exterioribus capitis, oſſis ſacri et extremitatum, denique organi vocis ratio habeatur, cuius vlteriorem etiam in aſino et mulo diſtinctionem a Cl. HERISSANT exſpectare deberemus, cum ille huius partis in animalibus diſquiſitioni adeo egregiam operam impenderit *). Vota Cl. Auctoris maximam partem impleuit Eminentiſſimus DELLE LANZE, romanae eccleſiae pater purpuratus, cum animal tale ex vallibus Pedemontii accerſitum Auguſtae Taurinorum ſub directione duorum anatomicorum habiliſſimorum ſecari iuberet; vnicum deſiderabatur, nempe relatio de ortu eiusdem. Ipſum autem animal nil erat, niſi mulus ordinarius, qualis ex equo et aſina gignitur. Inde ſententia virorum Cel. BUFFONII et HALLERI robur acquirit, qui de exiſtentia eiusmodi animalium dubitant: cum vero ex altera parte in diario Gallico, *l'Avant-Coureur* dicto, anatome eiusdem animalis per Cl. BOURGELAT facta occurrat, in qua expreſſe dicitur, ventriculus ſimillimus fuiſſe equino, ſed multo maior; dubia omnino tota res remanet, nonniſi repetitis experimentis dilucidanda.

p. II.

p. 13.

2. Cl. SPALLANZANI reſpondet Cl. BONNETO, referens, profeſſorem illuſtris vniuerſitatis in Italia iam in eo eſſe, vt diſquirat, num, quod proditum fuit a quibusdam, ex anate et gallo vere prodeat animal hybridum, pedibus patris inſtructum. Praeſertim inuitat ad capienda in infectis experimenta: ſunt nempe ex phalaenis quaedam, quarum mares coitus ſunt appetentiſſimi, feminae autem eo pigriores. Phalaenae ergo feminae ex erucis vlmi coniungi deberent cum phalaenis feminis ex bombyce, quo hae, illarum quaſi effluuiis imbu-

p. 16.

p. 23.

*) vid. Comment. horum Vol. VII. p. 268.

tae, phalaenas mares ex vlmi erucis, vtpote ſalaciſſimos, eo facilius allicerent; quia porro corpora phalaenarum feminarum vlmi pilis copioſiſſimis obſita ſunt, in aliqua horum pilorum copia circumuolari
p. 27. poſſent phalaenae feminae ex bombyce. Poſſent et aliae phalaenarum ſpecies ita inter ſe commiſceri; eligendae tamen eſſent eae, quae, ſimulac natae fuerint, illico ad propagationem ſui progrediuntur.
p. 29. Lumbrici terreſtres, quorum diuerſae inter ſe ſpecies diuerſum ſolum inhabitant; cochleae et limaces, omnes iam hermaphroditi, ſed vere diſtinctas ſpecies offerentes, iisdem experimentis ſubiici poſſunt: requiritur tamen ſumma dexteritas in animalculorum horum ſectione inſtituenda.
p. 31. 3. Cl. HEBENSTREITII epiſtola ad BRUHLIUM Comitem (quem editor in praefatione acrius iuſto perſtringit, cum non Henricus, Saxoniae olim Miniſter primus, ſed frater eius Iohannes Adolphus, ſupremus equitum magiſter, eam rem direxerit) iterum hic typis exſcripta eſt, cum in Italo idiomate
p. 37. nondum exſtitiſſet. Cauſſa ſterilitatis in maribus defectui animalculorum ſeminalium, vbi, in notula addita, editor inuehitur in HEBENSTREITIUM, quod animalculis iſtis pedes et caudas adſcripſerit, cum tamen priores negauerint prorſus, et de poſte-
p. 42. rioribus adhuc dubitent phyſici; in feminis inſertioni vrethrae in vaginam *), defectui ouulorum in ouariis, viis ex his in vterum anguſtiſſimis, et denique ſtructurae vteri ipſius, non adeo compactae, ſed tenuiori et veſicae vrinariae aemulae, tribuitur.
p. 49. 4. Epiſtola Cl. KLEINII, annotationes ad epiſtolam HEBENSTREITII continens, quae itidem nunc primum in linguam Italicam verſa prodit. Obſeruata

*) Eadem tamen ſtructura equas gaudere, nuperrime demum Cl. BOURGELAT in elementis hippiatriae docuit.

ſeruata tantum generaliora ſiſtit, non ad praecipuum epiſtolae ſubiectum pertinentia, et licet nulla ex tribus hypotheſibus de generationis negotio Cl. Auctori placeat, maxime tamen ſyſtema ouulorum impugnat.

5. Animaduerſiones Cl. SPALLANZANI ſu- p. 58.
per binas praecedentes epiſtolas. In obſeruationibus de corporibus organiſatis annotauerat Cl. BONNET, diſplicere ſibi in HEBENSTREITII epiſtola, eum particulas ſe mouentes in ſpermate non habere pro veris animalibus, et dixiſſe organa generationis in mulo aeque bene facta eſſe atque in equo aut homine: at defectus animalculorum in ſpermate certe pendet a vitio quodam organorum, praeparationi eius inſeruientium, quod omnino ita poteſt eſſe comparatum, vt omnem oculorum aciem eludat. Cl. BONNET memorat duo fragmenta ex epiſtolis Cl. DE REAUMUR, altera ad Cl. TREMBLEY, altera ad ſe ipſum directa, in quibus vera vita animalculorum infuſionis, eorum propagatio, incrementumque ſucceſſiuum probantur. Neque prorſus in-
audita eſſe exempla propagationis animalium hybri- p. 61.
dorum, aues teſtantur ex Canarienſi et fringilla progenitae, ex obſeruatione Cl. SPRENGEL, referente Ill. HALLERO in epiſtola, ad Cl. BONNETUM ſcripta, et huic ipſi operi iam commendato inſerta. KLEINII iudicium Cl. BONNETO non ſatis exactum videtur; et multum omnino lucis theoriae generationis ex ouo acceſſit experimentis Ill. HALLERI de formatione pulli.

XIV.

XIV.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Harlem, VIII Deel, 1 Stuck, 1765. 2. Stuck 1765. te Harlem. 3 alph. 7 pl. tab. aen. 10.

h. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis Tom. VIII. P. I. II. 8.

p. 1. 1. *Commentarius de munitionibus irregularibus*, Auctore Cl. N. YPEY.

p. 13. 2. *Commentarius de nonnullis ad aſtronomiam pertinentibus*, Auctore EODEM.

p. 33. 3. *Specimen theoriae molendinarum, ab aqua actarum*, Auctore Cl. I. F. HENNERT.

p. 169. 4. *Singularem deformitatem in ſectione fetus reperta*m, refert Cl. VAN GEUNS, cui accedunt *quaedam, quae ad herniam thoracicam ſpectant*. Pariſiis Cl. Auctor 1760 fetum, partu difficili mortuum editum ſecans, in abdomine exiguam tantum inteſtinorum tenuium partem, viſceribus fere omnibus deficientibus, inuenit. Deſiderata in pectoris latere ſiniſtro, nec non viam, qua adſcenderant, in diaphragmatis ſiniſtra parte detexit, vbi ſtratum tantum anguſtum
p. 175. muſculoſum, cum magno hiatu conſpiciebatur. Lobum hepatis ſiniſtrum in pectore, dextrum in abdomine reperit. Ventriculi fundus ſurſum, orificia deorſum ſpectabant, cum duodeno ad renem dextrum continuato. Lienis ſedem obliquam et ventriculo inferiorem reperit; cauum vero ſuperſtes inteſtina replebant, excepto pulmone ſiniſtro, qui ad

ad ſupremam pectoris partem protruſus erat. In dextro latere mediaſtinum cartilaginibus coſtarum affixum, cor ſitu, vt in brutis, erecto, cum vaſis eius naturaliter poſitis vidit. Pulmo vero dexter retro cor fere abſcondebatur. Huius vero viſcerum ab- p. 182.
dominalium in thoracem prolapſus duas Cl. Auctor ſtatuit cauſſas, alteram ex mala formatione fetus, integro diaphragmate, quam *aberrationem* dicunt; alteram ex laeſo vel deficiente diaphragmate, ſub nomine *herniae* cognitam, ad quam hoc exemplum *herniae thoracicae* Noſter refert. Vtriusque cauſſae veritatem exemplis probat, iconemque minus concinnam, adiicit. Colligit Cl. Auctor, herniam thoracicam, vt vitium in vtero iam delineatum, omnino accidere, cum aſthmate vero ſemper et morte, ſi infans iam reſpirauerit, eſſe coniunctam.

5. *Commentatio, qua ex ipſa arte aequationum* p. 197.
cubicarum cauſſae demonſtrantur, cur pro tribus aequationum radicibus formulae vniuerſales dari nequeant, Auctore Cl. IOS. BLASSIERE.

6. *Poſſibilitatem perpetui mobilis* demonſtrat Cl. p. 221.
IO. DE GORTER.

7. *Obſeruationes de fallacia vulnerum capitis, tri-* p. 257.
bus exemplis declaratae, Auctore Cl. IAC. VAN LIL.
Serua viginti annorum, ex alto ad latus dextrum lapſa, vulnus digitum latum, a ſutura coronali ad alveolos continuatum, cum magna haemorrhagia ſibi contraxit. Noſter, pulſu paene nullo percepto, aegram, paucis horis poſt, inter conuulſiones, quaedam murmurantem, particula ſubſtantiae cerebri corticalis prominente diſſecta, nulloque alio praeternaturali ſymptomate deprehenſo, conſueto more deligauit: ſymptomatibus ad decimum diem, praeter

p. 261. ter debilitatem, nullis conſpicuis, conuulſiones in latere affecto apparebant, paralyſi relicta. Particulam
p. 262. oſſis temporum multis acuminibus ſub os temporum protruſam Noſter remouit, ex quo ſymptomata peiora facta, conuulſionesque cum interuallo trium horarum, vbi aegra bene ſe habere videbatur, ad vigeſimum diem continuatae, eam interfecere.
p. 263. Abſceſſum, capite aperto, ex eadem particula, vtramque meningem perforante, formatum in cerebro, cum duabus vnciis puris detexit. Admirandum eſt, aegram, ante decimum diem, inflammatione et abſceſſu iam formato, nullis grauibus affectam fuiſſe ſymptomatibus, ex quo Cl. Auctor colligit, ſanationem particula hac occulta detecta, trepanoque remota,
p. 266. omnino contingere potuiſſe. Remix trigenarius, ex inſtrumento acuto, in cranium eius ad futuram lambdoideam ex alto nauis loco delapſo, vulneratus, cum magna haemorrhagia, ſymptomatibusque con-
p. 268. ſuetis afflictus eſt. Noſter praeter paruum vulnus et dolorem nil percipiens aegrum conſueto more tractauit. Aegro poſt, quartum diem de doloribus pectoris queſto, laeſionem Noſter diſquirens, corpus durum, duram matrem valde premens detexit; ſed aeger, ſymptomatibus ſtatim peioribus factis, mortuus eſt antequam particula trepano poſſet extrahi.
p. 270. Particula haec tribus orificiis per trepanum exemta eſt, nullo ſanguine ſupra meninges effuſo, qua tamen poſt laeſionem ſtatim extracta, aeger ſeruari potuiſſe Cl. Auctori videtur Pleura valde inflam-
p. 274. mata, ſed gangraena nondum foedata erat. Iuuenis octodecim annorum, Noſtro traditus, partem integumentorum oſſis bregmatis ſiniſtri plane deſtructam cum inueterata cicatrice habebat, laborans ſurditate et eiusdem lateris paralyſi. Cognouit Cl. Auctor, aegrum ante annum in ſentinam nauis lapſum a chi-
p. 278. rurgo vero, epilepſia relicta, reſtitutum eſſe. Deſtru-

ſta parte remota, vnciae duae puris exierunt, aegerque, cortice Peruuiano interpoſito, melius ſe habuit. Fungo propullulante reſecto, cataplaſma impoſuit; ſymptomatibus vero peioribus redditis, fungoque iterum maiore excreſcente, aeger periit. Cranium apertum in affecto loco deſtructum, ipſiusque cerebri partem corruptam vidit. Ex hoc exemplo concludit Cl. Auctor curationem vulnerum capitis, ex cauſſa incognita, raro ſuccedere. p. 284.

8. *Celer progreſſus aphtharum gangraenoſarum in ore infantum* in duobus exemplis. Auctore EODEM. Puella ſexennis, facie tumida, molli, gingiuis maxillae inferioris nigris, ſpongioſis, cum inſigni foetore; apice linguae pallido, carne maxillae inferioris valde turgeſcente, et ad tactum ſanguinem plorante cet. ſumma denique debilitate cum continuis febris inſultibus laborabat. Externe Cl. Auctor eluitionem, interne antiſcorbutica, excepto cortice Peruuiano, cuius vſum, in hoc morbo, tum ignorabat, adhibuit, ſed nullo, praeter foetorem imminutum, fructu. Hinc ad operationem accedens maxillae ſuperioris latus dextram, ſiniſtri lateris duas tertias, dentibus euulſis, exemit; inferioris maxillae dextrum latus. Adſtringente eluitione cet. vſus, poſtero die, partibus aegris, colore viuidiore conſpicuis, oſſa deperdita, ob continuam oris humiditatem Cl. Auctori non videbantur reſtitui poſſe; ſeptimanis tamen quatuor poſt, os internum noua iterum membrana obductum, formatum deinde callum et paulo poſt maxillas fere reſtitutas vidit, ſuperiore paulo retrorſum flexa cum tribus dentibus inciſoriis rurſus prodeuntibus. Infans quinque annorum, variolis confluentibus ſuperatis, maculam purpuream, in labio ſuperiore relictam, habebat, gingivis ad dentes inciſorios nigris. Externis et internis fruſtra p. 291. p. 294. p. 297. p. 299. p. 304.

fruſtra adhibitis, macula haec et totum labium cum parte faciei ad naſum ſiniſtri lateris, gingiuis, nigra conſpiciebantur, dentibus fere omnibus ſponte ela-
p. 305. bentibus. Decoctum chinae ſine fructu dedit. Sphacelo vlterius progreſſo, naſo inferiore et gena dextra infeſtatis, os internum plane deſtructum eſt, ita, vt nil amplius poſſet ingeri, et aeger quinto die exſpiraret.

p. 307. 9. *Luxationem femoris ex cauſſis internis*, obſer-
p. 309. vauit Cl. IAC. VAN DER HAAR. Tres ſtatuit Cl. Auctor cauſſas internas, duas ſimplices et vnam compoſitam. Prima eſt morbus quicunque in acetabulo natus, caput femoris, poſt aliquot tempus ex acetabulo protrudens. Altera eſt conuulſio, quam vero in patella tantum, nunquam in femore, Cl. Auctor obſeruauit. Per compoſitam intelligit primo vim externam, ex qua deinde inflammatio, exulce-
p. 312. ratio et ipſa tandem luxatio ſequatur. Inter cauſſas luxationis huius, quae ab aliis Auctoribus, inprimis PETITO et DUVERNEYO propoſitae ſunt, ea, quae ex Noſtri mente maxime vulgaris eſt, abſceſſus ſcilicet in articulo natus, a nemine ante PLATNERUM noſtrum indicata eſt. Vt enim inter centum aegros, qui luxationem femoris paſſi ſint, vnicum tantum eſſe, in quo collum femoris non fractum ſit, RUYSCHIUS autumauit, ita Noſter ex centum nonaginta nouem abſceſſu interno vitium hoc contraxiſſe putat. His propoſitis, Cl. Auctor exempla
p. 317. quaedam addit luxationis huius, ex cauſſa interna ab eo obſeruatae. Puella octo annorum variolis malignis laborans, iis ſuperatis, varios abſceſſus ad clauiculam et cubitum experta eſt, ex quibus oſſium carioſorum fruſta Cl. Auctor, in auxilium aegrae vocatus, exemit. Femur etiam ſiniſtrum luxatum et acetabulum pure plenum, abſceſſumque ad ſuperficiem

ciem externam ossis ilei inuenit, incisioneque facta, aegram cum antibrachio anchylosi concreto, et femore, ex neglecta repositione, luxato, restituit. Hoc etiam in puerperis ex metastasi lactis, vel ex aliorum sententia, ex suppressione lochiorum obseruauit. Femina satis robusta, primo puerperio felicior superato, grauitatem in pelui sensit. Cum vrina, quae in triginta horis semel tantum prodibat, pus exibat. Noster vitium ex vesica vrinaria deriuans, catheteris vsum suasit. Post quindecim dies regionem inguinalem et montis veneris duram et tumidam reperit; cognouit inde materiam purulentam in tela cellulosa peluis, vesicae et vteri collectam esse, et cataplasma emolliens, et corticem Peruuianum adhibuit. Induratione imminuta, post aliquot dies magna copia puris, ex orificio, ad marginem internum femoris prope inguina exorto, effluens, symptomata leuabat. Orificio huic cataplasma imposuit, puris effusione continuante; eo vero concreto, dolores in femore aegra sensit, atque, vesicatorio apte applicato, pes immobilis cum tumido femore mansit. Aegram post aliquod tempus Noster (nam in vicina vrbe habitabat) cum femore plane retrorsum luxato, inueniens, parte eius anteriore valde crassa, materiaque purulenta, nondum fluctuante, referta, eam breui, vsu corticis Peruuiani, duplici dosi propinati, restituit sic, vt, magna copia puris ex articulo femoris effusa, fulcita, posset incedere. Feminam vero hanc ex metastasi lactea, materia intra vterum et vesicam primum collecta demumque ad articulum translata, laborasse, fusius probat. Vir viginti trium annorum, sanus et vegetus, doloribus in femore sinistro affectus, a chirurgo vero, ex indicatione mali ischiadici male tractatus, Nostro cum femore, retrorsum luxato, tradebatur. Sedem mali, ex vrina missa, intelligens, corticem Peruuianum adhibuit, aegrum-

p. 333.

p. 336.

p. 344.

p. 360. que breui eodem effectu reſtituit. His exemplis luxatione femoris ex cauſis internis probata, ad indicationem curatoriam, quam fuſius pertractat, tranſit. Commendat vero, ſi ex rheumatiſmo frigido, vt vocant, vel metaſtaſi oriatur, ſcarificationem, cauterii applicationem, a veteribus iam commendatam, nouisque Iaponenſium circa moxam, aliorumque eos imitantibus, experimentis confirmatam; frictionem, purgantium draſticorum, mercurialium et veſicatoriorum vſum; imo, iis, quae in variolis ad praecauendam ſuppurationem fieri debeant, expoſitis, inciſionem, qua facta pureque emiſſo, os luxatum iterum in priſtinum locum reponi debet.

p. 380. 10. *Obſeruationes de metaſtaſi lactis, et de cauſſ*
p. 382. *mortis puerperae cuiusdam*, Auctore EODEM. Debilis femina, triginta nouem annorum, per aliquot annos ſcrophulis induratis laborans, febre, ſcrophulos ſolvente, corripiebatur. Grauida paulo poſt facta, filium
p. 383. ſanum, ſcrophulis non mutatis, enixa eſt. Noſter quinto die eam cum doloribus colicis vehementiſſimis, vomitu bilioſo cet. inuenit. Clyſmate adhibito, magnam copiam materiae tenuis, acris, brunae eduxit; ſymptomatibus vero paulo poſt cum tuſſi ingenti grauioribus redditis, abdomine non tumido, nec lochiis ceſſantibus, in ſuſpicionem inflammationis eryſipelaceae inteſtinorum vel vteri venit, et, clyſmate alio non ſuccedente, epithemata calida applicuit. Poſtero die aegram admodum debilem, delirantem cum aliis malis ſignis reperiens, non amplius de metaſtaſi lactis in abdomine letifera dubitavit, praeſertim cum mammae nondum lacte turgeſcerent. Vt itaque eam ad locum ignobiliorem transferret, camphoram adhibuit, ſed aegra poſt pau-
p. 386. cas horas obiit. Abdomine aperto, peritoneum et totus inteſtinorum tractus regionis epigaſtricae materia

teria albida, flocculenta, cremori lactis simili, ad tres vel quatuor libras obducta, vidit. Ileum in quibusdam locis inflammatum erat: vterus bis maior, quam extra grauiditatem esse solet, orificio non arcte clauso. Mammas et encephalum disquirere locus non permisit. Subsumit ex his Cl. Auctor, partem aliquam lactis, ad cerebrum et neruos delatam, mortem celerem produxisse, et ad Cel PUZOS prouocat, qui idem in tribus puerperis obseruauit, et contendit, metastasi lactis ad partem nobiliorem translata, mortem semper subsequi *). p. 392.

II. *Effectum arsenici albi crystallini communicat* Cl. C. A. KLOEKHOF. In femina, veneno enecata dicta, publicaque auctoritate dissecta, fundum ventriculi ad viciniam pylori valde crassum, cum colore ex bruno purpureo vel nigricante, Noster detexit, mediam vero huius fundi partem cineream, et a tunica interna separatam. Totum praeterea ventriculi ambitum multis granulis paruis, albis, duris, oculorum cancri ad instar, obsessum vidit, intestinis ceteroquin sanis. Ventriculus, per aliquot dies in spiritu vini seruatus, in superficie interna multa punctula rubra ostendit, quae petechias simularent. p. 394. Granula haec verum arsenicum album fuisse, experimento cum his et vero arsenico instituto probat, et confirmat eius veritatem ex actis publicis, quibus constet, seruam aegrae tribus vicibus arsenicum dedisse. p. 401. Admiratur id potissum Cl. Auctor arsenicum a d. 7 nou. 1760. ad d. 6 ian. 1761 in ventriculo pene immutatum seruatum esse. Maritus eius, vi veneni, bis accepti, largiore et continuato potu aquoso, superata, post duos annos restitutus est. p. 409. Subiicit sub finem monita quaedam, ad quas medi- p. 411.

*) Vid. EIUSD. Traité des Accouch. p. 387. Comment. suppl. dec. I. p. 505.

medicus physicus in disquisitione cadaueris attendere et relationes debeat instituere.

p. 417. 12. *Commentarius de multiplici refractione radiorum lucis, per vitrum transeuntium*, Auctore Cl. c. U. BLEY.

p. 464. 13. *Curationem tendinis rupti musculi recti femoris exponit* Cl. FR. WYNANTS. Pictor quinquagenarius, scala descendens, pede sinistro in ea implicitus, dextro vero, extra aequilibrium positus, casum euitans, tendinem musculi recti supra patellam rupit, vt nec pedem extendere, nec corpus, eo insistendo, posset fulcire. Noster patellae motum laxiorem, et attractione musculi finem vtrumque tendinis rupti cum celeritate, quam duo digiti vix poterant explere, detexit. Fasciis spleniisque duobus, vt moris est, applicatis, pedi ferulas accommodauit, aegrumque per sex hebdomadas in hoc situ seruauit.
p. 468. Callo hinc nato, aeger paulo post plane restitutus est. Variorum deinde Auctorum sententias de eiusdem tendinis laesione adiungit, rupturaequa ipsius rationem exponit.

p. 475. 14. *Vsum olei, ex asphalto parati, in vlceribus viscerum* tradit Cl. HOFKENS DE COURCELLES. Parat Noster hoc oleum ex bruno nigrum destillatione ex asphalti libr. 1. salis decrep. libr. semis et arenae purae libr. 1. semis. Propinatur mane, ventriculo ieiuno, ad guttulas 10. 14. saccharo exceptas, et tempore noctis eadem dosi. Probat vsum eius tri-
p. 477. bus exemplis. Iuuenem viginti annorum, sano et vegeto corpore, variolis superatis, febre lenta cum eiectione puris aliisque malis symptomatibus correptum, Noster, oleo hoc, ei d. 7 iul. 1761 cum bona diae-
p. 479. ta commendato, d. 26 iul. restituit. Femina duodetriginta

ginta annorum plethorica, a primis annis asthmatica, terrore perculsa, pleuritide afficiebatur; neglecta venaesectione, vlcus in pulmonibus ortum Noster ex puris fetidi eiectione cet. cognouit. Aegram, oleo d. 1. iul. adhibito, circa finem iul. cum fluxu menstruo, antea amisso, restituit. Femina trigena- p. 480.
ria, post casum conuulsionibus in lumbis affecta, a chirurgis male tractata, cum dolore in lumbis relicto, asthmate, febre lenta, magnamque copiam puris ex viis vrinariis et ore eiiciens, Nostro tradita, ab eo, aliis bonis medicamentis frustra adhibitis, oleo hoc sub initium maii propinato, ante finem iunii restituta est. Eundem effectum habuit in sene, sexaginta p. 483.
sex annorum, qui, cum post lapsum in latere dextro, magno dolore, febre, tussi cum eiectione puris afficeretur, vsu huius olei breui curatus est, relicta tamen respiratione difficili.

15. *Obseruationes super numero, in quinquennio* p. 485.
1759. 60. 61. 62. *et* 63. *mortuorum, in quorum duobus vltimis annis contagium* variolosum *Hagae comitum grassabatur*, Auctore Cl. TH. SCHWENCKE. Iam p. 488.
inde ab anno 1719 Cl. Auctor obseruauit, contagium varioloſum post singulum quinquennium epidemicum esse factum, vt adeo praediceret, variolas annis 1762 et 1767 eandem scenam epidemicam esse lusuras. Stadia in epidemiis eadem fuere, et cuique nouae epidemiae varioloſae morbilli cum purpura anteceſſere, in prioribus epidemiis magis, quam in hac, funesti. Nam ex T. V. Comm. Soc. Sc. Harl. patet, 499 morbillis periisse; in hac vero epidemia variolis 483, morbillis 73 tantum mortui sunt, vt ex calculo, quem in fine adiecit, elucet. Numerus variolis mortuorum ad numerum Hagae p. 491.
quotannis natorum ei est, vt 1 – 10.

p. 495. 16. *Relatio de hernia vmbilicali incarcerata, in femina octuagenaria feliciter curata*, Auctore Cl. G. TEN-
p. 497. HAAF. Femina octuaginta annorum, valde obesa, hernia vmbilicali iam a multis annis laborans, hac semper repressa, anno 1763 in scalam ascendens, herniam magis prolapsam durioremque sentiens Nostrum, auxiliis consuetis frustra adhibitis, consuluit. Is, variis, immissione fumi tabaci, venaesectione cet. frustra tentatis, ad operationem accessit.
p. 504. Intestinum, gangraena affectum, in angusto loco prodiens, annulo discisso, in abdomen magno cum im-
p. 507. petu retrocessit. Paucis horis post aegra vehementissima febre corripiebatur, quae tamen tertia die sponte cessauit. Verum senili corpore, multo profuso sanguine, debilitato, post quatuor menses exspi-
p. 509. rauit. Asserit Cl. Auctor, non in tali hernia de aetate, nec de tempore, per quod incarcerata sit; nec de salute esse desperandum.

p. 511. 17. *Tractatio super Hakeldamah siue de providentia Dei cet.* Auctore Cl. Q. C. H. VAN DER AA.

p. 533. 18. *De vaticinio* Zachar. XI. v. 12. 13. *comparato cum historia* ex Matth. XXVII. v. 5. differit Cl. HERRMANN VENEMA.

In parte secunda voluminis octaui continentur:

p. 1. I. Cl. I. LE FRANCQUE VAN BERKHEY *commentarius de optima methodo terram patriam ex ipsa sui natura et situ optime colendi*, quae primum praemium a Societate propositum reportauit. Omissis aliis, quae minus ad nos pertinent, notamus, Cl. Auctorem etiam suas de famoso illo incrustato Rakanensi obseruationes communicare, quo scilicet in lacu quo-

quodam in peninſula *Voornana* ad pagum *Rakanje* ſito, non ſolum caricis culmi obducuntur, ſed ex qua etiam maſſae, variae magnitudinis, per aream ſparſae, formatae reperiuntur. Putat vero Noſter hoc incraſſatum tophum eſſe argillaceum, et ex depoſitis argilloſis particulis aquae, eo in loco, vbi copioſius accreſcit, in vorticem continuo agitatae oriri. Cl. vero PALLAS in *zoophytorum elencho* *) incruſtatum hoc calcareae eſſe indolis et corallinorum naturae analogum, vti alio loco iam indicauimus **) probat.

2. *Reſponſio ad eandem quaeſtionem*, Auctore Cl. W. VAN HAAZEN, altero praemio ornata. p. 191.

Relationes cum Societate communicatae: p. 203.

1. *Particulam coſtae bouinae, vltra viginti duos menſes in pulmone haerentem, tuſſi eiectam, obſeruauit* Cl. TH. SCHWENKE. Vir duodequadraginta annorum d. 6. nou. 1761. inter iuſculum carneum, ex carne bubula, cui coſtarum fragmenta inhaerebant, paratum, deglutiendum, duri quid, tuſſim faciens, intraſſe ſenſit. Multis abhinc doloribus perpeſſis, tempore p. 205. aeſtatis 1763 Noſtrum adiit, qui, re perſpecta, iuſtis remediis datis, tuſſim cum eiectione puris augens, particulam tandem, coſtae bouinae, quae pulmoni inhaeſerat, inter ſcreatum extraxit. Adiecit delineationem cum deſcriptione eiusdem particulae.

2. *Contagium varioloſum, via naturali recidiuum, exemplis illuſtrat*, Cl. SERVANS VAN DE COPELLO. Noſter anno 1752, contagio varioloſo p. 206. graſſante, in familiam accerſitus, duos infantes, variolis benignis laborantes breui ſanauit. Alter p. 209. eorum, cum poſt quatuor ſeptimanas eodem con- p. 210.

*) p. 268.

**) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 161.

tagio iterum infectus diceretur, ſigna conſueta oſtendit, ex quibus tamen Noſter certi quid nondum determinare auſus eſt; ſed poſtero die variolas in toto corpore, praecipue in extremitatibus prodire vidit, ex quibus aeger, ſtadiis, vt ſolent,
p. 211. celebratis, breui reſtitutus eſt. Variolis anno 1744 in familia mercatoris graſſantibus, filia primo maior, deinde iunior, ab iis infectae, breui ſanatae ſunt. Anno 1760 contagio rurſus graſſante, Noſter, cum ex eo, quid de contagio reuerſuro ſentiret, quaereretur, hoc fieri poſſe aſſeruit. Neque errauit; nam, vtraque filia variolis poſt aliquod tempus correpta,
p. 216. vtramque quoque reſtituit. Illuſtrat hoc exemplis ex aliis Auctoribus, qui idem obſeruarunt, et concludit, contagium varioloſum, naturaliter communicatum, homines iterum omnino inuadere. De inſitis variolis hoc nondum obſeruauit.

p. 219. 3. *Relatio de ventriculo rupto*, Auctore Cl. WIND. Puellam quatuor annorum, ſubito mortuam, publica auctoritate Noſter diſſecuit. Ante mortem, praeter leuem febrem, bene ſe habuit, poſt mortem vero abdomen ita intumuit, vt etiam ſuſpicio veneni naſceretur, colore tamen naturali ſeruato. Abdomine aperto, magna copia aëris cum ingenti vi prorupit, vt ventriculus, antea diſtentus, valde collaberetur. Orificium paruum, iuxta cardiam, in ſuperficie anteriore detexit; ventriculum vero interne ad orificium hoc inflammatum et ſanguine grumoſo nigricante obſitum, obſeruauit. Craſſa inteſtina diſtenta et inflammata invenit cum liene iuſto maiore et indurato. Colligit ex his Cl. Auctor, ventriculum ex rarefactione aëris ruptum; cauſam vero huius rupturae, vel in veneno, vel in alio maligno humore quaerendam eſſe.

p. 223. 4. *Encheireſin, qua in ligno quodam variae figurae regionum, vrbium, ruinarum cet. delineatae videantur,*

antur, (*Steede Hout*) communicat. Cl. I. C. PALLIER. Serra Noſter varios ramos ex malo, arbore, bene exſiccatos, quorum medium centrum 4. 5. 6. et vltra digitorum erat, in diſcos diſcidit, veſtigia vero, a ſerra relicta, cultro obtuſo vel vitro aequauit, et polita reddidit. Hinc ſaepius detexit, centrum vel medullam et ſtratum ſubſequens colore bruno, tanquam fuligine figurato, conſpicuum eſſe. Hic vero diſcus, in vtraque ſuperficie bene politus, easdem figuras oſtendit. Cauſam harum figurarum in annorum ſerie, per quam arbor crevit, ſtrataque varium et firmius robur acquiſiuere, Noſter quaerit. Hoc notatu dignum cenſet, ramos ſe inueniſſe, in quorum parte bruna maculae, portas, aedes cet. ſimulantes, detegerentur, quae vero ſaepius ad partem exteriorem vſque albidam penetrarent. Diſci talis in quatuor partes, per centrum iuſte diſſecti, ſingula pars rotunda reddita et polita regionem aliamque figuram offert. Putat Cl. Auctor, eadem phaenomena et in aliis lignis poſſe detegi. p. 225.

5. *Obſeruationes de mutatione colorum, in chamaeleonte conſpicuorum*, Auctore Cl. B. HUSSEM. Fuſius probat Cl. Auctor, animal hoc non ex ſolo aëre nutriri, ſed inſectis, quod iam pluribus aliis recentiorum teſtimoniis confirmatum eſt. Longam inediam, ad quinque vel ſeptem menſes, pati poſſe, variis exemplis probat. Alium quoque errorem, a pluribus aſſumtum, animal ſcilicet hoc colorem aſſumere illarum rerum, quibus inſidet, pluribus experimentis refellit. Putat, colorum mutationem potius a variis affectibus, quibus animal hoc agitatur, ira, metu, coëundi libidine cet. pendere. Poſt mortem ſemper ex griſeo nigrum colorem acquirit. p. 226.

6. *Obſeruationem de curatione, per emphyſema artificiale, feliciter peracta*, a chirurgo ex Angola acce- p. 235.

ptam tradit Cl. H. GALLANDAT. Quae de methodo per emphyſema artificiale variis morbis medendi, inter nigritas, Guineenſes vſitata, Cl. Auctor alio loco *) propoſuit, experimento hic confirmat. Adoleſcens nigrita decem annorum, pleuritide ſpuria affectus, medicamentis cum venaeſectione, bis inſtituta, adhibitis, melius ſe habuit, modo vt dolor quidam per totum corpus ſentiretur. Poſt tres dies rigor totum corpus occupauit, ita, vt, omnibus interet externis remediis fruſtra adhibitis, nil amplius per os poſſet ingeri, et aeger, frigore quaſi tactus videre-
p. 237. tur, cum aliis malis ſignis. Operationem Noſter per emphyſema artificiale inſtituit: inciſione in pede facta, tubulo membranam celluloſam inflauit, vt flatus paulo poſt per totum corpus diſtribueretur.
p. 238. Poſt horam aeger reuiuiſcens, ſuccum ex fructu quodam reſorbere coepit. Maxillis poſtero die relaxatis, aeger poſtea reſtitutus eſt.

p. 239. 7. *Curationem ex periculoſa cranii laeſione communicat*, Cl. ABR. VAN DALEN. Miles quadraginta quatuor annorum d. 2 iul. 1762 ictu, ex gladio obtuſo, in cranio percepto, duplici vulnere in oſſe bregmatis dextro afficiebatur, altero leuiore ad muſculum temporalem, altero grauiore, duos digitos lato, ſupra dextrum ſupercilium ad ſinus frontales, extrorſum paruo, introrſum latius hiante. Noſter, venaeſectione inſtituta, vulnus, ſymptomatibus nullis ſtipatum, deligauit. D. 11. iul. magna copia ſeri ex vulnere effluxa, poſtero die, vulnere ampliato et diſquiſito, corpus durum firmum detexit, quod, liquore ſpirituoſo immiſſo, d. 16. iul. cum pure multo fetido extraxit; d. 17. duabus iterum particulis oſſeis, et ſubſequente die, quarta cum multis minoribus eductis, vulnus, nullis nondum ſubſecutis ſym-

*) Vid. Tom. VI. P. II. p. 676. Comment. Vol. XII. p. 284.

ſymptomatibus, deligauit. Relictis tandem paulo maioribus particulis, d. 21. amotis, vulnus, interpoſita lamina metallica, multis foraminulis pertuſa, clauſit, aegrumque breui reſtituit. Perſuadet ſibi Cl. Auctor, humoribus, in cerebro extrauaſatis, ibidemque iam dudum collectis, vulnere hoc inflicto, viam, qua effluerent, datam eſſe. Particulas delineatas adiecit. p. 249. p. 250.

8. *Delineatio inſtrumenti noui, fumum tabaci in inteſtina immittendi*, Auctore Cl. H. V. NOKKEN, cum icone. p. 252.

9. *Duos calculos, ſponte ex veſica rupta cicatrice prodeuntes*, communicat Cl. IAC. BOTH. HENDRICKSEN. Iuueni duodetriginta annorum, a prima aetate doloribus nephriticis affecto, anno 1741. primus calculus ex veſica operatione exſectus eſt; anno 1759. alter magno dolore cum vrina ſponte exiit. Tertio, anno 1761, per operatorem exemto, anno 1762 magnos dolores ad regionem natum ſiniſtram, cum vrinam mitteret, ſenſit aeger. Abceſſu in cicatrice nato, poſt tres dies calculum, ſponte prodeuntem, poſt quinque dies alius ſubſecutus eſt, ex quo aeger melius ſe habuit. Figura adiicitur calculorum. p. 256. p. 257.

10. *Commentatio de variolis infantum*, Auctore Cl. I. FR. DRYFHOUT. Ex Comm. Soc. Sc. Harl. T. IV. p. 90. ſeqq. *) patet, Noſtrum variolas filiae ſuae decennariae 1755. inſeruiſſe; eam vero a contagio varioloſo anno 1761 admodum graſſante, non infectam fuiſſe, ex T. VI. P. I. p. 448. **) conſtat. Anno 1764. eam, marito ſuo variolis decumbente, ab eodem contagio iterum infectam, verisque variolis per ſtadia ſua perpeſſis, conualuiſſe aſſerit, teſte Cel. HOFIO. Interim putat, filiam, variolis ex inſitione non grauiter affectam, eas veras demum expertam eſſe. p. 260.

11. *Ino-*

*) vid. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 571.
**) ibid. Vol. XII. p. 276.

p. 267. II. *Inoculationis variolarum, Roterodami facti, cursum, Soc. Sc. Harl. traditum* communicat Cl. DE
p. 267. MOMCHY. De bonitate insitionis variolarum mul-
tis, immo trium suorum liberorum, exemplis Noster
persuasus, vnius malum euentum, a Cel. DE HAEN,
inoculationis aduersario, sibi obiectum, commuui-
p. 270. cat. Totam operationem, in filiis duobus, trium et
quatuor annorum, institutam, maioris bono eum-
p. 276. tu, minoris malo, per omnia stadia describit. Ex
phaenomenis in iuniore die octauo quaedam
praeternaturalia Noster vidit, vt inde malam form-
ret prognosin. Hinc, medico alio in consilium vo-
cato, bonisque medicamentis datis, aeger nihilom-
p. 277. nus conuulsione periit. Corpore dissecto, nullis
vestigiis variolarum detectis, nil, nisi voluulum in
p. 280. intestinis tenuibus in duobus locis inuenit. Corti-
cem Peruuianum paulo serius se adhibuisse Noster
sibi ipsi obiicere videtur, quem vero ob febris vim
validiorem non ausus est dare. Cum probabilitate
asserit: tempore criseos regimen frigidius accessis-
se, vbi, sub ipso ingenti sudore, aeger, ex lecto re-
motus, frigido pectorali sericeo indutus sit; perspi-
ratione inde suppressa, rheumatismum productum
esse, qui, febre absoluta, relictus manserit. Pro-
bat hoc Cl. Auctor tribus argumentis: primo, fe-
brem, quae in omnibus fere variolarum speciebus
tempore criseos, imminui solet, hic auctam fuisse
obseruatam: deinde, dolorem et intumescentiam
brachii magnam conuenientiam habuisse cum dolo-
rificis et tumidis buccis, ex suppressa perspiratione
orta: tertio, probabilitatem, causarum duarum, in
corpore simul latentium, alteram post alteram age-
re, non dubiam esse, quippe cum hoc ex insitione
variolarum, materia morbillosa in corpore iam hae-
rente, constet.

Adduntur obseruationes meteorologicae Swa-
nenburgenses anni 1762. et 1763.

XV.

XV.

Mémoires de Chirurgie, avec quelques remarques hiſtoriques ſur l'état de la Médecine en France & en Angleterre. Par GEORGE ARNAUD, Docteur en Médecine, ancien membre de l'Academie royale de Chirurgie de Paris & un des Profeſſeurs en l'école de St. Coſme, membre de la Societé des Chirurgiens de Londres. à Londres chez J. Nourſe. 1768. T. I. 2 alph. 12 pl. tab. aen. 11. T. II. 2 alph. 15 pl. tab. aen. 11.

i. e.

Commentarii chirurgici, adſperſis quibusdam obſeruationibus ſuper ſtatu medicinae et chirurgiae in Gallia et Anglia. Auctore GEORGIO ARNAUD. Vol. I. et II.

Cl. ARNAUD, chirurgus Francogallus, qui Londini nunc praxin chirurgicam exercet, variisque ſcriptis herniarum inprimis et morborum vrethrae curationes illuſtrantibus, a nobis ſuo loco indicatis, inclaruit *), hanc variorum operum chirurgicorum minorum collectionem, tertio volumine augendam, ſeneſcens iam publicauit.

Primo loco exhibuit nobis verſionem Gallicam P.I. p.1.
egregii commentarii Cel. HUNTERI de herniis congenitis **), cui praefixa eſt breuis de vita Cel. huius viri narratio, ex qua perſpeximus, diu expectatum iſtius viri de vtero opus, iam fere totum ad finem perductum eſſe. Continebit illud quinqua-

ginta

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 433.
**) vid. Medical Commentaries P. I. p. 75. et Comment. noſtr. Vol. XI. p. 288 ſeq.

ginta circiter tabulas aeneas, quas Cl. RYMSDYCK delineauit, praecipuique in arte ſua ſculptores Angli Gallique aeri inciderunt. Commentarium ipſum hic impreſſum Cl. ARNAUD variis annotationibus auxit, in quibus nonnulla loca paullo obſcuriora illuſtrat. In his autem gloriam inuentionis herniarum congenitarum, quam Ill. HALLERO debemus, ſoli fere HUNTERO tribuit; cum tamen ipſe HUNTERUS fateatur, ſe HALLERI obſeruationibus de herniis congenitis excitatum fuiſſe, vt in hanc rem accuratius inquireret. De tunica vaginali a peritonaeo orta, docet, non totum faſciculum vaſorum ſpermaticorum eam includere, ſed tantum in anteriore parte operire. Et cum fieri interdum ſoleat, vt in neonatis in illo ſacco, quem peritonaeum cum teſte deſcendens, formát, aquae colligantur, quae ſpeciem hydroceles forment, Cl. ARNAUD eam hydrocelen congenitam vocat. Hae aquae, ſi infantes in dorſo cubant, in abdomen retrocedunt. Saepe etiam cum enterocele haec hydrocele complicata eſt. In fine huius commentarii inter varias obſeruationes etiam HUNTERI et HALLERI de herniis congenitis et ſacco peritonaei deſcendente, obſeruationes ad explicationem variorum phaenomenorum, quae in curatione herniarum occurrunt, adplicantur. Si hernia congenita eſt, id eſt, ſi inteſtinum peritonaei ſaccum ad teſtem deſcendentem, nondum perfecte clauſum intrauerit, nunquam per operationem radicalem curam obtineri aſſerit, quae in ea herniarum ſpecie, quae peritonaeo praeternaturaliter per annulum cum inteſtino deſcendente continetur, ſaepe, vti notum eſt, herniotomiam ſequitur. Nec in priore ſpecie ſaccus, poſt inteſtini reductionem, vinculo conſtringi poteſt, cum in operatione anterior tantum ſacci lamina aperiatur, poſterior vero vaſis ſpermaticis, quae tegit, arcte adhaereat. In puellis etiam

p. IX.
p. 4.
p. 29.
p. 36.
p. 49.

etiam aliqua peritonaei productio saccum formans, cum ligamentis rotundis per annulum descendit, quam NUCKIUS diuerticulorum nomine descripsit, quae forte caussa est, cur etiam puellae et quidem feminis longe frequentius, inguinali hernia laborent.

Sequitur Cl. ARNAUD commentarius de her- p. 83.
niis in presbyteris et monachis ecclesiae Romano-catholicae addictis. Lege Mosaica hernioſi, eunuchi aliique, qui vitiis variis in partibus genitalibus laborabant, a ministerio diuino arcebantur, ideoque etiam nonnunquam in hac ecclesia ab eo arcentur. Cl. vero ARNAUD demonstrat hernioſos, si remediis aptis prophylacticis tractentur, officio presbyteri fungi posse, aliaque, quae huc pertinent, fusius explicat.

Tertius commentarius de diuerso situ et numero p. 115.
testium agit, in eoque inprimis disquiritur, num testium in abdomine situs, vel vnius testis defectus diuortii caussa esse queat. Veros triorchides inueniri probat, canemque vere triorchidem se vidisse narrat, cuius testiculus tertius in abdomine latens, proprio vase deferente, instructus fuerit. Quae de testium serotino descensu variorum symptomatum morboſorum caussa, de testium spontaneo in abdomen regressu cet. Auctor Cl. monet, omittimus. Testem sub ligamento FALLOPII ad crus descen- p. 153.
dere et herniam cruralem referre vidit. Varios deinde morbos enarrat, quibus testes destrui possunt. Abscessu sponte nato, vtrumque testem in pus reſo- p. 161.
lutum, vulnusque perfecte consolidatum obseruauit.

Quarto commentario de aneurysmate et inpri- p. 181.
mis de ea specie, quam Ill. HUNTERUS primum descripsit*), disputat. Aegri commemorat exemplum, in

*) London Med. Obs. and Inquir. Vol. II. p. 390. et Vol. I. p. 323. vid. Comment. nostr. Vol. XII. p. 467. et Vol. VIII. p. 315.

in quo poſt herniae operationem feliciter peractam ſex aneuryſmata in arteria crurali ſenſim enata, deprehendebantur, quorum vnum ad genu articulum poſitum illum ſummis doloribus excruciabat, tandemque ruptum interemit; faſciamque addit, quae
p. 219. faſciamque tortilem imitatur, cuius ope, aneuryſmata vera comprimendo progreſſum eorum retardare tentauit, et in aneuryſmatibus ſpuriis perfectam curationem aſſecutus eſt. Annexa eſt diſſer-
p. 247. tatio Cel. HUNTERI citata de tertia aneuryſmatum ſpecie et Cl. CLEGHORN epiſtola ad HUNTERUM de eodem argumento *).

Vltimus huius voluminis commentarius de hermaphroditis inſcribitur, in quo Cl. Auctor plura, quae ad hermaphroditorum hiſtoriam pertinent, ex veterum et recentiorum ſcriptis collegit. Ill. vero HALLERI diſſertationem de hoc argumento Commentariis Societatis Gottingenſis inſertam **) non nouiſſe videtur. Commentarius hic a. 1733 in Academia chirurgica Pariſina praelectus et a. 1750 Londini Anglico ſermone impreſſus eſt. Inter exempla, ex aliis adducta, varia fabuloſa ſunt. Varias tamen obſeruationes ſingulares ſibique proprias habet. Qualis eſt, quam de femina habet, quae, licet viro ſimilis eſſet, quoad externam fabricam par-
p. 296. tium, verum tamen fluxum menſtruum per inteſti-
p. 328. num rectum experiebatur. Vagina ſectione patefacta eſt, vulnere vero neglecto, iterum coaluit. Additae quoque ſunt aliae obſeruationes de hermaphroditis recentioribus v. c. de famoſo illo *Droüar*, alioque *Grand-Jean* dicto, cuius cauſſa varia quoque in Gallia ſcripta, hic inſerta publicata ſunt, cet.

*) vid. Med. Inqu. Vol. III. p. 110. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 137.

**) vid. Vol. I. p. 9. et in opuſculis minoribus T. II. P. I. p. 9. vid. Comm. noſtr. Vol. II. p. 5. et Vol. XV. p. 528.

cet. et adiiciuntur excerpta ex commentario Cl. LE CAT de hermaphroditis nondum typis impresso.

Secundi voluminis initium facit amplissimus commentarius de herniis omenti, qui plures Auctoris aliorumque obseruationes continet. Omentum primum variasque morbosas mutationes, quae in eo obseruantur, fusius describit. Omentum in cadaueribus magis dextrorsum quam sinistrorsum se vertit, contrarium tamen in viuo homine obseruatur, in quo fundi ventriculi sinisterior pars altius posita est. Nonnulli veterum putant illud iusto pinguius factum pondere suo conceptionem impedire et sterilitatem inducere posse, quam sententiam, a HIPPOCRATE iam propositam, Cl. Auctor fusius refellit. In homine, colica saturnina laborante, omentum circa se ipsum reuolutum deprehendebatur, inferiore parte ad superiorem agglutinata, quod tumorem formabat, qui scirrhosum tumorem mentiebatur. Haec vero reuolutio ex conuulsiuis intestinorum motibus pendere videbatur. In alio qui hernia omentali laborabat, totum omentum in chordam quasi anguſtatum et contractum erat. Scirrhum quoque in omento in abdomine adhuc posito, aliumque in omento per annulum egresso obseruauit. Atque in vniuersum omenti portio, quae herniam format, insigniter crassescere solet, regressu humorum per vasorum compressionem impedito. Pondus omenti per morbos nonnunquam ita augetur, vt triginta libras aequet, et chirurgus quidam Parisinus in exomphali operatione portionem omenti nouem fere librarum resciderit. Omittimus, quae de vsu omenti variorumque Auctorum de eo sententiis Cl. Auctor habet, cum plurima ex aliis iam scriptoribus cognita sint. Scirrhos in omento nasci, illosque in tumores lapideae

T. II. p. 401. p. 406. p. 409. p. 410. p. 414. p. 420. p. 428.

pideae duritiei mutari, poſſe, probat obſeruatio Cl. MONGIN de ſcirrho omenti petrificato quaſi (petrifié), ponderis 13 librarum quem femina, per 37 annos ſine magnis incommodis tulit. Ictu tandem in abdomen accepto, hydropica facta, periit. Putat vero Cl. MONGIN lapideam hanc maſſam ex coagulatione ſuccorum ab acido ortam eſſe. Oſſeam quoque duritiem omentum in herniam prolapſum acquirere poteſt.

p. 446. His de omento in vniuerſum propoſitis, Cl. Auctor iam ad hernias omenti tranſit, primumque docet, quibus ſignis epiploocele a cirſocele vel hydrocele, cum quibus herniis ſpuriis nonnunquam coniuncta eſt, dignoſci queat. Cura palliatiua herniarum omenti longe difficilior eſt, quam curatio earum herniarum, quae ex inteſtinorum deſcenſu oriuntur. Radicalem curam ſectionis ope in hernia omenti ſimplici, quam varii propoſuerunt, incertam eſſe ſaepeque funeſtam variis exemplis probat.

p. 451.

p. 458. Cohaeſiones quoque omenti cum ſacco ſucceſſum operationis dubium reddere ſolent. In homine in quo eiusmodi cohaeſiones, quas epiploon ad ſaccum contraxerat, moleſtiſſimos vomitus excitabant, operatio, in qua hae adhaeſiones ſoluebantur, ſine fructu facta eſt. Deſcenſum omenti ſcarificatione annuli impediri poſſe, varii quidem Auctores propoſuerunt; ſed tendineas columnas nunquam, neque vel poſt dilatationem annuli in herniae operatione, inter ſe coaleſcere, ſcarificationemque difficulter tantum in ſuperiore, nunquam in inferiore columna fieri poſſe, Cl. Auctor fuſius probat. In enteroepiploocele, ſi inteſtinum faſciae vel bracherii ope reprimitur, temporis etiam ſucceſſu, omento cum annulo concreſcente, plenaria curatio obtineri poteſt. Quo maiores herniae omenti ſunt, eo facilius curantur, quod Cl. Auctor feminae exemplo probat,

p. 470.

p. 474.

p. 475.

bat, quae entero epiploocele insignis magnitudinis laborabat, quam ventriculus et colon quoque, vt Noster suspicatur, intrauerant, et quam diaeta tenuissima, ex solo iusculo vitulino, potu aquoso, vsu mercurii dulcis in dosi refracta, clysmatum et externa applicatione emplastri emollientis ita minuit, vt commode tandem intestina prolapsa reprimere, aegramque restituere posset. Eadem methodo et iam alias hernias insignis magnitudinis, compressione etiam externa in vsum vocata, curauit, in quarum vna ipsa vesica quoque in scrotum descenderat. p. 482.

Nonnunquam post reductionem eiusmodi herniarum, quae diu iam duraverant, si subito ea reductio fit, spasmi insignes et dolores colici oriuntur, quod minime accidit, si musculi abdominales cataplasmatibus et fomentis relaxati antea fuerunt, et haec reductio non subito, sed sensim instituitur. p. 494.

Ipsam deinde reductionem herniarum omenti seu taxin fusius describit, regulasque in ea obseruandas tradit. p. 506.

Herniae omenti minores longe difficilius maioribus reponuntur, quoniam in iis annulus non tantum dilatatus est, quantum in herniis maioribus esse solet. Interim vel has, fasciarum ope eas comprimendo, sensim imminuit, tandemque feliciter reduxit. p. 513.

His de herniis omenti simplicibus et cum enterocele etc. compositis, propositis Cl. ARNAUD ad hernias complicatas, i. e. scirrhosas, inflammatas cet. transit; in quibus curatio, quae ferro fit, instituenda est, quam in simplicibus noxiam esse diximus. p. 521.

Sic epiploocelen induratam, imo carcinomaticam felici successu exstirpatam esse, obseruationes Cl. Auctoris fusius hic descriptae probant. p. 534.

Inflammari quoque omenti herniae possunt et in abscessum mutari aegro funestum. Metastases etiam criticas ad omentum fieri exemplo confirmatur. p. 536.

Tandem de incarceratione (*Etranglement*) p. 538.

omenti Auctor Cl. differit, cuius incarcerationis signa, cum iis, quae inteſtinorum incarcerationem comitantur, nonnunquam conueniunt, cum ex ſpaſmis vel ex habituali cauſſa aluus etiam obſtructa eſſe poſſit; haud raro tamen ſine eiusmodi ſymptomatibus
p. 552. putredine corripitur. Poſſunt etiam in omento prolapſo hydatides naſci, qua occaſione Cl. Auctor ſingularem curationem enarrat, qua hydrocelen empiricus quidam, ſola compreſſione ita adhibita, vt teſticulus ab ea immunis maneret, vno temporis momento, diſrupta veſica, aquam continente, diſſipauit. Similem quidem curationem in hydrocele adhibere, Cl. Auctor nunquam ex metu laeſionis teſticuli auſus eſt, vſus tamen eſt ea in hydatidibus, quibus omenti portio, in herniam prolapſa, repleta erat. Tranſit deinde ad inteſtini, in herniam deſcenſi, incarcerationem, quatenus ab omento pendere poteſt. Vidit Cl. BOUDOU faſciam circularem
p. 571. quaſi ab omento formatam, quae inteſtini coli portionem comprehendens et conſtringens, mortis aegri
p. 574. cauſſa, inteſtino ſphacelo corrupto, fuerat. Aliud exemplum probat, adhaeſiones eiusmodi omenti ad inteſtinum, quae incarcerationis cauſſa ſunt, inteſtino in herniae operatione paullulum, protracto ſcalpelli ope, maximo aegri cum fructu, ſeparari. Pot-
p. 586. eſt etiam omentum nimis diſtentum dilacerari, inteſtinumque hoc foramen ingredi et ab omento conſtringi, vti, variis hiſtoriis hic additis, confirmatur.
p. 593. Duplex epiploocele in vtroque latere, licet rariſſima ſit; tamen nonnunquam obſeruatur, qua occaſione Cl. Auctor breuem hiſtoriam herniarum omenti tradit, docetque, CELSUM iam, FALLOPIUM, REALDUM COLUMBUM et VESALIUM eas cognouiſſe. Poteſt etiam duplex hernia in vno eodemque latere accidere, ſi vna ex inteſtini vel omenti portione cum peritonaeo deſcendente oritur,

tur, altera vero congenita eſt. In femina quoque p. 605.
duplicem enterocelen, cruralem in adoleſcente prae- p. 607.
ter enterocelen inguinalem etiam epiploocelen cru-
ralem, et in viro duplicem epiploocelen inguinalem
et cruralem obſeruauit. Nonnullae fibrae, quae a
faſcia lata in nonnullis hominibus ad os pubis ten- p. 606.
dunt ſub ligamento FALLOPII faſcias tendinoſas
formant, quae incarcerationis cauſſa exiſtere poſ-
ſunt. His propoſitis, Cl. Auctor ad celebrem illam p. 609.
de ligatura omenti in herniae operatione inſtituen-
da, controuerſiam, quam, vti notum eſt, Cl. VER-
DIER et PIPELET impugnarunt, pergit, quam p. 614.
non plane reiicit, cum ea haemorrhagiam et gan-
graenam impediat vel cohibeat, Auctorque Cl. in- p. 627.
ter 230 et vltra aegros, in quibus ligatura vſus eſt,
ne vnicum ex ligaturae vitio mortuum viderit.
Omentum vero, ligatura conſtrictum, non reponit, p. 619.
ſed extra abdomen ſeruat, cautionesque fuſius de- p. 624.
ſcribit, quae in ligatura inſtituenda obſeruari de-
bent. Si ligatura in abdomen recedit, ſaepe natura
ſponte eam expellit. Vidit tamen Cl. Auctor ex li- p. 648.
gatura, quae quatuordecim menſes in abdomine la-
tuerat, inteſtinum diſruptum, foecesque ex abdomi-
ne per aperturam fiſtuloſam egredientes. Foecum
vero copia imminuta vulnereque clauſo, aeger con-
valuit. Alius vero, cui ſimile infortunium accide- p. 652.
bat, periit. Docet deinde, ligaturam non cauſſam eſ- p. 659.
ſe adhaeſionum omenti, quae poſt eius reſciſſionem
obſeruantur, nec abſceſſus et calloſitates ex hac li-
gatura oriri, atque in vniuerſum ex experimentis a
Cl. PIPELET in canibus inſtitutis non ad ea, quae
in homine fiunt, concludendum eſſe; tandemque p. 665.
probat alia remedia, a variis Auctoribus ligaturae lo-
co propoſita, vt cauteria actualia et potentialia, ole-
um terebinthinae (quod tamen non noxium eſſe iu- p. 677.
dicat) vel ipſam omenti ſine omni vlteriore cura re- p. 825.

positionem, longe superari a bonis ligaturae effectibus. Repositio in specie omenti sine ligatura non
p. 678. modo haemorrhagiam, sed et corruptionis ipsius omenti caussa esse potest.

p. 698. Hanc dissertationem excipit amplissima sellae cuiusdam chirurgicae, a Cl. Auctore excogitatae, descriptio, in qua omnes operationes chirurgicae commode instituuntur, aegerque in lectum deportari potest.

p. 745. Speculum deinde vteri delineat, quod vulgari quidem speculo praeferendum est; attamen non incommodis caret, quibus omnia eiusmodi specula subiecta sunt.

p. 754. Sequitur elegans de iis, quae in operatione herniae cruralis in viris instituenda obseruanda sunt, commentarius. In eo docet, vasa spermatica omnino in hac operatione, facillime discindi posse, iconemque addit, ex qua patet, arteriam spermaticam, ante suum ex abdomine progressum fere totam sub ligamento FALLOPII latere, qua occasione GÜNZIUM Nostrum inprimis refutat, qui hoc accidere posse in eleganti *de herniis* libello negauit. Hamulum quoque describit, cuius ope ligamentum in herniae operatione attollit, non discindit, sicque vasorum discissionem praecauet, quae eo magis metuenda est, quo magis ab intestino in herniam egresso vasa versus interiorem ligamenti marginem vrgeri solent. Arteriam quoque epigastricam sub hac operatione discindi posse, fusius probat, acumque, cuius ope ligatura eius instituatur, forficemque ad incisionem sacci callique eius dilatationem addit.

p. 793. Hunc commentarium excipit descriptio staphylotomi vagina inclusi, quo etiam Cl. Auctor condyloma, ex ano propendens, feliciter exstirpauit.

p. 800. Finem huic volumini imponit oratio Anglica a Cl. ARNAUD Londini *de vsu anatomiae* habito, cui versio Gallica addita est.

Adiecta

Adiecta eſt appendix, in qua Cl. Auctor contra Cel. LOUIS, *) defendit, etiam poſt herniae reductionem ſaccum herniae reductum incarcerationis inteſtini cauſſam eſſe poſſe.

XVI.

Svar på kongl. Vetensk. Academiens Fråga huru all slags Friſel kan förekommas och botas, ſå hos Barnſångs-Huſtruv, ſom andra? Hvilken Fråga varit framſtäld, at beſvaras År 1769. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Saluius 1770. 8. pgg. 39.

h. e.

Reſponſio ad queſtionem Reg. Academiae ſcientiarum, quomodo quaelibet purpura tam apud puerperas, quam alios aegros optime auertatur et curetur.

Auctorem huius ſcriptionis, quamquam nomen ſuum non adpoſuit, ſcimus eſſe Cel. A SCHULZENHEIM, cuius eximiae in variolarum inſitione et arte obſtetricia peritiae varia documenta commentariis noſtris iam ſignificauimus. Rationem p. 35.
Noſter inprimis exanthematis miliaris habuit, quod potius tanquam ſymptoma vel criſin mali moris, quam morbum ſui generis conſiderat. Contagioſum negat eſſe, etſi, collectis pluribus vno eodemque loco hominibus, et ſub eadem tempeſtate febres eiusmodi incidere poſſunt, quibus miliares puſtulae comites ſeſe aſſociant. In Suecia malum vix p. 3.
ante triginta annos medicis cognitum ſatis fuit; ibi-

*) vid. Memoir. de l'Acad. de Chir. T. IV. Reflexions ſur l'opération de la Hernie. p. 199. vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 18.

demque verſus aeſtatis finem luculentius, quam vere ſeſe manifeſtat, hieme autem tum modo ingruit, quando calore conclauium eorumdemque arcte nimis clauſorum vitium commiſſum fuit. Haud exiguam autem originis mali culpam in medicos coniicit, qui febres mox et ſub ipſa earum exacerbatione emeticis et draſticis aggrediuntur, vel alterantibus variis illarum genium peruertunt, vel evacuationem, quam natura ſponte meditatur, intempeſtiue accelerare ſtudent, vel ſudoriferorum calidorum, pellentium cet. prodigi ſunt, aëris denique renouationem et mitia refrigeria, venaeſectionem et eiusmodi alia praeſidia reformidant.

p. 6. His praemiſſis, febres Cl. Auctor nominat, quibus ſub iſtis vitiis purpura accedit, et ſymptomata recenſet, ex quibus imminentis mali ſuſpicio capi

p. 7. poteſt. Sedulo ſimul admonet, ne apparenti, quod ſaepe eruptio huius exanthematis creat, leuamini fides tribuatur.

p. 8. Modus, quo praeuertitur purpurae, pro diuerſa quidem febris, cui ſeſe adiungit, natura, quodammodo differt, venaeſectione tamen, clyſmatibus, rhabarbarinis, emeticis et antiphlogiſtica medela tempeſtiue adhibita, et commoda diaeta in ſubſidium ſumta, prout febri ipſi, ita acceſſorio huic malo, ob-

p. 10. viam itur. Seorſim vero Cl. Auctor puerperarum rationem habens, quid abortum vel partum praematurum perpeſſis, quid demum feminis, iuſto tempore partum enixis, obſeruandum ſignificat. Ampla hic patuit Noſtro occaſio, incongrua multa conſilia, quae ab obſtetricibus inſciis et ignaris medicis tentantur, ipſarum quoque puerperarum errores, reprehendendi, quo pertinet partum accelerandi conatus, in ſecundinis extrahendis nimia feſtinatio, ſtragulorum nimis denſorum abuſus, opiatorum calidorumque et ſudoriferorum remediorum incon-

grua

grua praeſcriptio, ventris, partu abſoluto, iuſto arctior conſtrictio, neglectum matris, prolem proprio lacte nutriendi, officium, aliaque, quae per partes eundo Cl. Auctor accurate definit, nobis autem ob breuitatem iniunctam repetere non datur.

In curatione regimini frigido et medelae, inflam- p. 27.
mationi accommodatae, maximam vim tribuit, quantumque his praeſidiis profecerit, exemplis Cl. Auctor demonſtrat. A venaeſectione, eruptione iam p. 33.
facta, nihil adiumenti ſperat. Et corticem Peruuia- p. 34.
num damnum potius, quam vſum attuliſſe, expertus eſt, praecipue ſub incremento morbi et vigore. Nec in veſicatoriis fiduciam ponit.

Purpuram rubram et chronicam, quae aliis p. 35.
ſcorbutica dicitur, paucis tantum Cl. Auctor perſequitur. Inter iſtam et miliarem idem diſcrimen ſtatuit, ac inter morbillos et variolas, proxime vero miliarem accedere ad ſudorem anglicum. Nec rubrae, niſi vitiis manifeſtioribus commiſſis, periculoſum euentum tribuit. Ex connubio vero purpurae rubrae et miliaris periculum inſignius, adhuc vero maius miliari cum petechiis iuncta, ſubnatum obſervauit. Contra chronicam ea commendantur, quae ſcorbuto opportuna ſunt; de venerea enim dicere huius loci non fuit.

XVII.

IOANNIS BERNHARDI DE FISCHER, Medic. Doct. et quondam Ruſſiar. Imperatric. Annae glorioſae memoriae perſonae medici et per Ruſſias res medicas dirigentis quondam archiatri, vt et Acad. Imper. nat. curioſ. Colleg. de febre miliari, purpura alba dicta, e veris principiis eruta et confirmata tractatus per longam experientiam collectus. Rigae, ſumtibus Io. Frider. Hartknoch 1767. 8. pl. 9. cum praefamine et tractatus ſciagraphia.

Ex ſciagraphia, huic tractatui a Cl. FISCHERO, ſummo ſenio iam confecto, aliisque ſcriptis claro *), praemiſſa, patet, eum, febris miliaris deſcriptionem in ſe continentem, ſeptem capitibus conſtare. Nimirum de veſiculis miliaribus absque febre, de febre miliari, ſeu de purpura alba puerperarum, de febre miliari, purpura alba dicta, idiopathica et ſymptomatica, de natura febris miliaris, ex ſymptomatibus eruta, de prognoſi et praeſeruatione, ac demum Cl. FORDYCE hiſtoriam febris miliaris **), qui in quibusdam locis contrariatur Noſtro, refutat et ſuas partim, partim aliorum addit obſeruationes.

p. 1. Ad veſiculas miliares ſine febre refert Noſter veſiculas illas cryſtallinas infantum neonatorum inſigniter prurientes, quae florem cutis ſeu comedones, ſeu crinones alias appellant. Contra illos, qui hoc exanthema ex pathologia verminoſa explicant, dicit, illudque, vermiculis plane diſſimile, atque eminentes minimos neruorum apices eſſe monſtrat. *Nervorum enim*, inquit, *apices papillas in cute facilius dari, quam*

*) vid. Comment. noſtr. decad. I. indic. triplic. ſub voce *Fiſcher*.

**) quae prodiit Londini 1753. 8.

quam vaſorum, anaſtomoſi ſeſe excipientium, in aprico eſt. Quo fundamento nititur quoque diſtinctio purpurae idiopathicae et ſymptomaticae, a Cl. Auctore prolata. Purpura alba idiopathica ea eſt, quae immediate ex adfectis neruis oritur, febre ipſa ex his adfectis accenſa. Symptomatica vero, in qua haec neruorum ſingularis affectio alius cauſſae febribus accedit. Proximam itaque purpurae cauſſam quaerit Noſter in fluido nerueo et, purpuram profecto interdum eſſe naturalem, nec ſemper artificialem, eamque aliorum morborum ſaepenumero eſſe ſymptoma, contendit et exemplis illuſtrat.

Inter obſeruationes, quas Cl. Auctor propoſuit, p. 32. liceat hanc potiſſimum commemorare. Vir annorum ſex et triginta, tenero et laxo corporis habitu praeditus, cephalalgia, laſſitudine et febricula corripitur. Vena ſecta, die ſexto purpura alba apparebat cum delirio. Quo, altera venaeſectione inſtituta, veſicatoriis clyſmatibusque adhibitis et remediis antiphlogiſticis exhibitis, ceſſante et redeunte, puſtulisque miliaribus nouis prioribus ſuperuenientibus, die decimo tertio morbi mortuus eſt. Pertinacis huius delirii cauſſa, cadauere aperto, detegebatur. Intra cranium nulla inflammationis ſigna, vaſa ſanguinea tam meningum, quam cerebri omni fere ſanguine deſtituta; pia mater ob extrauaſatam lympham paululum turgebat et ventriculi quoque lympha erant impleti. Plexus choroideus pallidus, in dextro latere pallidiſſimus. Glandula pinealis lapillis referta. Subſtantia cerebri ſat conſiſtens, medulla oblongata duriuſcula. Sterno ſoluto atque ſepoſito, cor cum pericardio ex humiditatis defectu concretum deprehendebatur. Ambo ventriculi atque auriculae cordis ſanguine carebant. Summa ceterum corporis ſiccitas, muſculorum pallor, pinguedinis defectus, et ſanguinis omnino inopia in toto corpore deprehendebatur.

Praemiſſis

p. 51. Praemiſſis itaque exemplis, miliaria exanthemata cum et ſine febre ſpectantibus, a Cl. Auctore pariter, ac ab aliis obſeruatis et collectis, in naturam huius morbi inquirit Noſter. Cum, vti ſupra monuimus, in neruis atque fluido nerueo harum puſtularum miliarium quaerat ſedem Cl. Auctor, et HAMILTONUS et ALLIONIUS *) ad neruos quoque reſpexiſſe videantur, hanc ſuam ſententiam ideo fouet, quoniam naturam ſanguinis et naturam fluidi nervei conuenire inter ſe, et ſanguinem e. c. tenuem, ſeu acidum, ſeu alcalinum ſecretionem fluidi neruei, eodem modo vitiati, praeſtare oportet.

p. 56. Quemadmodum Cl. Auctor inter purpuram et hypochondriacum, hyſtericumque malum omnino intercedere magnam conuenientiam, ſic anxietatum et pectoris ſuppreſſionum variarum rationem eſſe habendam arbitratur. Suadet propterea ſedulam attentionem ad viſcera abdominalia, eorumdemque, ac potiſſimum quidem meſenterii, diſpoſitionem et varias anxietatis ſpecies pertractat, et laudat antiſpasmodica.

p. 74. His itaque pertractatis, antequam therapiam febris miliaris perſequitur, haec habet: *milia veſicularia ſeu purpura alba, ſunt neruorum excretiones halituoſae, quibus, ſi ſpaſmus febrilis adeſt, vel ex domeſtica corporis cauſſa, vel ex animi pathemate, vel ex aëre, ſuccum neruorum alterante, ſanguinem in viſceribus coagmentans et primario plexum meſentericum in tumultum agens, adeo, vt ex his, in conſenſum acto paris vagi neruorum ramulo, ad praecordia anxietates, vigiliae, deliria, conuulſiones, aeſtus volatici, ſudores et reliqua hypochondriacis et hyſtericis ſolemnia ſymptomata generentur, pro dato neruorum robore; facile vel difficulter ſanabilia, quia in hoc poſteriori caſu, ſaepiſſime in apoplexiam vel in partium nobiliorum, vel in ipſorum neruorum*

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. p. 600.

neruorum viſibilem, aut inuiſibilem necroſin, cum morte, raro ſanitate terminantia. Tum triplicem Noſter proponit febri miliari medendi methodum. Ac primum quidem, purgatis primis viis, inprimis per vomitoria, ſuadet Noſter, ſpaſmum febrilem ſopire, dein vires vitae ſuſtentare, h. e. neruorum genus roborare, ac tandem excretionis peripherícae non primariam, pathognomonicam tamen habere rationem. Quapropter vt in omnibus exanthematibus, ſic et in purpura, ſuſtentatio toni ſyſtematis neruoſi per frictiones, analeptica aliaque remedia primaria Noſtro videtur eſſe indicatio. Aquae frigidae vſum externum in purpura temerarium iudicat, atque hydrophobiae ſimilitudinem cum purpura, ab ALLIONIO*) prolatam, negat.

Quod ad primam indicationem, quae in ſpaſmo ſedando cernitur, attinet, inter alia antiſpaſmodica, opio quoque circumſpecte vſus eſt. Stupefacientem quidem opii effectum largitur Noſter, quo frictio fibrarum exaeſtuans impeditur et humoribus acribus eliminandis e corpore datur locus, ſe et excretionibus liberioribus redditis. p. 78.

Tertia indicatio, ad exanthema hoc ſpectans, orta eſt ex obſeruationibus, a Cl. Auctore factis. Cum enim copioſiſſimam miliarium eruptionem, eodem modo, quo variolarum, petechiarum, morbillorum, carbunculorum largam excretionem, mortem acceleraſſe, neruis per nimiam hanc excretionem adeo debilitatis, et mediocrem purpurae eruptionem redintegraſſe ſanitatem viderit, praecipit, ad neruos potiſſimum eſſe reſpiciendum in purpura aeque, ac in omnibus exanthematicis morbis, ita tamen, vt exanthematis ratio quoque habeatur, nec vllo modo illud negligatur. Quapropter grauiſſima quoque ſymptomata morbi huius, vt pectoris oppreſſiones, p. 90.

fauciuin

*) vid. Comment. noſtr. l. c.

faucium ſtrangulatio, lipothymiae, vigiliae, pulſus arteriarum in cordis ſcrobiculo, vel in hypochondriis, deliria, conuulſiones, ſtupor comatoſus, excretio gelatinoſa per aluum, ſudor effuſus vrens, vrina parca, diarrhoea, frigus internum, lochiorum fluxus in puerperis, recenſet eorumque medelam addit, ac in fine ſuadet, purpuram ſymptomaticam aeque, ac idiopathicam nunquam eſſe negligenter tractandam.

XVIII.

Diſſ. inaug. de vſtione cranii in epilepſia. Praeſide HENRICO FRIDERICO DELIO. Auctore et Reſp. *Ioanne Philippo Iulio Rudolph*, Erlang. 1768. 4. pl. 7½.

Epilepſiae definitione, ſpeciebus, cauſſis, ſymptomatibus atque ſignis praemiſſis, ad obſeruationes et epicriſes in easdem Cl. Auctor ſeſe accingit.

p. 19. Ac cum limites diſputationis non ferunt, cuiuslibet epilepſiae ſpeciei methodum medendi perſequi, de ſolo inuſtionis remedio, agere, eamque ſpeciem epilepſiae, qui vſtio inſeruit, definire inſtituit Cl. Auctor. Poſtquam enim viderat, non vbique epilepſiae vſtionem mederi, eo maiori attentione in hanc rem inquiſiuit.

p. 36. Atque vſtionem ſalutarem inuenit in his ſpeciebus epilepſiae idiopathicae, vbi vel ſtagnationes in minimis vaſculis encephali liberum humorum tranſitum impediunt, vel vbi epilepſia a nimia ſenſibilitate ſyſtematis neruoſi, vel vbi ab animi commotionibus, in ſenſibilioribus praeſertim nimiis, oboritur.

p. 40. Tum modus operationem inſtituendi a Noſtro proponitur. Praemiſſis nimirum leniter laxantibus, reuellentibus, venaeſectione, cauterio vſus eſt tali propemodum, quale HEISTERUS *) in icone dedit.

Hoc

*) Inſtitut. chirurg. Tab. III. fig. XI.

Hoc candefactum, capillis ſublatis, nullaque praegreſſa integumentorum inciſione, capiti, quod fortiter tenebatur, applicuit ibi, vbi ſutura ſagittalis attingit coronalem. *Ne autem cranium ferro candente nimis incaleſceret*, inquit, *retraxi ferrum et aliquantiſper exſpectaui, mox denuo applicaui, vel idem cauterium, vel ſi mora frigefactum fuerit, aliud bene candens, vt ita breui temporis ſpatio, cutim ſatis profunde* (*h. e. vſque ad pericranium et cranium*) penetrauerit. Tum ſuppurationi et exfoliationi cranii, tandem conſolidationi vulneris Noſter conſuluit.

Hac methodo defenſa, ad rationes Cl. DE HAEN, qui hanc operationem plane reiicit *), Noſter progreditur, easque refellit, atque demonſtrare annititur, ex nonnullis infauſtis exemplis, rem bonam non eſſe penitus repudiandam, atque veriſſime, vti Noſter opinatur, ſtatuit, vſtionem capitis, nec ſemper et omnino, nec tamen quoque nunquam eſſe proficuam. Quod ſi vero cauſſa morbi non in capite latet, iucundioraque remedia ſuperſunt, et Noſter reiicit hoc vſtionis remedium. Alias idem ſentit, quod olim CELSUS: Melius eſſe in deſperatis morbis anceps remedium experiri, quam nullum. p. 42.

XIX.

D. IOH. AUG. WOHLFART obſeruatio de vermibus per nares excretis. Hal. Magdeb. 1768. 4. plag. 4. cum praef. fig. aen. 1.

Quo grauiorum morborum latentem ſaepius cauſam vermes conſtituunt, eo digniores, quae cognoſcantur, ſunt obſeruationes, quae de eorumdem ſaeuitie teſtantur. Hinc laudandum eſt ſtudium Cl. WOHL-

*) vid. Ration. medend. Part. VI. p. 239. Commentar. noſtr. Vol. XII. p. 141.

WOHLFART, qui vermes ex ſiniſtra cauitate narium ſenis ſeptem et ſexaginta annorum, per octiduum pertinaci cephalea et dextri capitis lateris tumore exagitati, praegreſſa narium per triduum continuante haemorrhagia, excretos hoc libello et concinna oratione deſcripſit, et aptis figuris aeri incidi curauit. Prodierunt vero cum leuamine aegri vermium eiusmodi duodeviginti, albidi omnes coloris, qui vaſe vitreo, terram continente, incluſi, paucis diebus interiectis in erucas ſubnigras et duras mutati, integro menſe elapſo, muſcas dederunt, oculis lateritii ruboris, antennis filiformibus, proboſcide inflexo, palpis hirſutulis et clauiformibus; quae ſingula aeque atque vermis muſcae, tum in magnitudine naturali, tum eadem per microſcopium aucta depicta habentur. Vermis, vndecies interfecto corpore inſtructi capiti duo vnci dati ſunt vnguliformes nigri, duri, mobiles, quibus dum inter rependum poſteriorem corporis partem attrahere intendit, caput firmatur, quosque alias ita retrahit, vt plane lateant. Vltimae interfectioni depreſſio inest, cum duobus ſtigmatibus, totumque corpus pilis nigris breuibus et ſparſis obſidetur. His enarratis, Auctor ſimiles caſus ab aliis obſeruatos et memoriae proditos recenſet, tandemque breuiter excuſſa vermium in corpore humano generatione, vermium ſenis iſtius geneſin eam eſſe exiſtimat, vt muco de naſo dormientis forte propendenti impoſuerit muſca quaedam ſua ouula, quae vna cum muco retracta, inque ſinubus frontalibus fota vermes excluſerint, mole pariter atque irritatione indicata ſymptomata producentes.

XX.

Noua physico medica.

Facultatis medicae *Tolosanae* doctores et professores sunt:

Cl. LABOUR, Decanus facultatis et professor institutionum.

Cl. DAUBONS, professor institutionum.

Cl. DUBERNARD, professor botanices et materiae medicae et academiae regiae scientiarum Tolosanae socius.

Cl. MAYNARD, professor anatomiae et chirurgíae eiusdemque academiae sodalis.

Repetimus cum regia chirurgorum Academia *Parisina*, quae duplum distribuet illi praemium, cuius explanatio placebit, quaestionem a nobis iam commemoratam *), praxin chirurgicam spectantem et ad annum 1772 pertinentem. Optat nimirum *Eadem*, vt, *disquirantur incommoda, quae oriuntur ex abusu vnguentorum et emplastrorum et quaenam emendatio vlcerum tractandorum in praxi chirurgica possit recipi.* (*Exposer les inconvéniens, qui resultent de l' abus des onguens & emplâters & de quelle réforme la pratique vulgaire est susceptible à cet égard dans le traitement des ulceres*).

Singulum itaque praemium erit moneta aurea ducentarum pondo Gallicarum, quod expectare licet. Ceterum commentarii Latina vel Gallica sunt conscribendi lingua et Cl. LOUIS, qui Academiae ab epistolis est, mittendi ita, vti apud alias Academias fieri solet; ideoque reliquis legibus enarrandis hic supersedebimus, hocque vnicum addemus, quod commentarii ab Academia ante finem 1772 exspectentur.

Caesareo

*) vid. Comment. nostr. Vol. XV. p. 355.

Caesareo regia agriculturae et scientiarum Societas, quae *Clagenfurthi* in Carinthia conuenire solet, annuum praemium, quod est moneta aurea triginta sex auredrum pondere, dicauit huic quaestioni: *Quaenam sit optimus modus lignum coquendi; seu ex eo in vsum vstrinarum carbones conficiendi et quaenam ligni species ad hoc praestandum, quam optime conueniat?*

Commentarios, qui ante finem septembris 1771 tradendi sunt Societati, lingua Germanica, Gallica, Italica et Latina conscribere licet. Reliqua, quae sint obseruanda, ita constant, vt eas silentio praeterire facile possimus.

Inter quinque elaborationes quaestionis: *quomodo purpura puerperarum aeque ac purpura in vniuersum sit curanda et arcenda*, ea potissimum regiae Academiae scientiarum *Holmiensis* nacta est assensum, quae a DAVIDE VON SCHULZENHEIM inoculatione variolarum claro *) ideoque nobilitatis diplomate ornato, erat tradita. Cum autem per leges Academiae ei socio non liceat praemium reportare, in schedula obsignata non professus est suum nomen ideoque, celato Auctoris nomine, haec elaboratio est edita et a nobis **) iamiam indicata.

CHRISTIANUS RUDOLPHUS HANNES medicinae Doctor et poliater Vesalianus, variis scriptis clarus, inter socios Academiae imperialis naturae curiosorum est relatus.

Touanae in Murcia DON ANTON. CAP. DE VILLA a Rege botanices et agriculturae professor est creatus. Docet agricolas agriculturam diebus sacris hora decima vsque ad duodecimam, diuites per omnes

*) vid. Comment. nostr. Vol. XVI. p. 349.
**) vid. Comment. nostr. Vol. hoc p. 151.

omnes hebdomadis dies. Ceterum examinabit et exhibebit herbas in horto regio non diu exſtructo.

Potentiſſimi Regis Galliae clementia erga Cl. BUFFON, qui horto et muſeo regio praeeſt, erat tanta, vt, cum BUFFON ipſe hoc humaniter peteret a Rege, Comitem DE LA BILLARDERIE D'ANGIVILLER ſibi mortuo ſucceſſorem dari, clementiſſime ei permitteret. Praeterea liberum aditum ad ſe Rex conceſſit BUFFONO, eiusque praediis comitatus priuilegia dedit. Quo inſignis beneuolentiae ſigno atque beneficio non ſolum BUFFONUS, ſed et eius poſteri fruentur.

Quamquam GEORGIUS CHRISTIANUS OEDER, botanica aeque ac oeconomica doctrina clarus, vti a nobis *) relatum eſt, alio iamiam munere fungitur, tamen Flora Danica ab Eo continuabitur. Botanica autem profeſſio, quam antea habuit Cl. OEDER cum omnium plauſu, cum academia eſt coniuncta, et locus, qui horto regio erat dicatus, ſuperiorum iuſſu aliis vſibus deſtinatus eſt.

Nec minus, Cl. OEDERO moderante, pericula contagii, quod inter armenta graſſatur, transferendi continuabuntur.

Lugduni Batauorum ſucceſſit b. BERNARDO SIGFRIED ALBINO **) Cl. GUALTIER VAN DOEVEREN, Groeningenſis antea medicinae, chymiae et artis obſtetriciae profeſſor, qui in poſterum in hac Lugdunenſi Academia profeſſoris medicinae ordinarii munere fungetur.

Ibidem Cl. EDUARDUS SANDIFORT, Medicinae Doctor Hagae Comitum, Lector anatomiae et chirurgiae eſt denominatus.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 710.
**) ibid. p. 350.

Quamquam hoc munus, cuius adeundi cauſſa IOANNES CHRISTIANUS POLYCARPUS ERXLEBEN artis veterinariae doctrina clarus orationem habuit atque programma ſcripſit, non huc pertinet, tamen ob rem veterinariam, quam ſpectant oratio aeque ac programma, liceat eorum hic mentionem facere.

Vltimo nimirum decembris 1770 die *Gottingae* Cl. ERXLEBEN munus extraordinarii profeſſoris philoſophiae adiit oratione, in qua *de arte veterinaria veteribus maximi aeſtimata, diu poſtea neglecta atque inculta, hodie vero laetiſſime efflorescente erroresque ſuos expurgante* dictum eſt, atque programmate, in quo *dubitationes, quas Cl.* BERGIUS *contra translationem contagii, quod inter armenta graſſatur, poſuit*, ab Eo ſunt ſolutae.

Holmiae Experientiſſimus IONAS BOECKMANN *) archiater regius et Holmienſis ciuitatis phyſicus quinquageſimo quinto aetatis anno die 4 aprilis 1770. deſiit viuere.

Altorfi die 11. aprilis 1771. IOANNES TRAUGOTT ADOLPH **) medicinae Doctor et profeſſor publicus ordinarius pleuritide quadrageſimo quarto aetatis anno obiit.

Rex Anglorum obſeruatorio Academiae *Gottingenſis* horologium donauit à IOANNE SHELTON, nobili artifice, confectum, quale a Britannicis aſtronomis *Regulator* dicitur, cuius penduli oſcillationes frigoris et caloris viciſſitudine non mutantur.

Huius ſtructura huc redit, vt compoſitione et coniunctione plurium perticarum e chalybe et orichalco, quarum vna plus, quam altera extenditur, in

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 546.
**) ibid. p. 551.

in eodem gradu caloris, longitudo penduli eadem maneat. Cl. HARRISONUS 1726. primus hanc methodum indicauit, vt DE LA LANDE in aſtronomia ab eo edita, paragrapho 1971. dicit, vbi etiam deſcriptio et icon, quamquam non accurate expreſſa, reperiuntur. Cum vero oſcillationes huius *Regulatoris* vix percipi poſſint, additus eſt ſingularis index minutarum et ſecundarum.

XXI.

Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1768. prodierunt.

